

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Tertiam, Quartam,  
Quintam, Eamque postremam complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit,  
Cum jndicibus ...

**Gerhard, Johann  
Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617819**

Caput CXC. Christus Ad Praetorium Romani Praesidis Deducitur; Judas  
Proditor Desperat.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17617**

Dei Filio competit, sedere ad dextram Dei, cui Angelorum unquam dixit, *sede à dextris meis?* Hebr. I. v. 13. Christus igitur verbis claris & perspicuis denuò repetit suam confessionem. *Vos dicitis me esse*, hoc est, is sum, de quo quæritis & quem me esse dicitis. Illi igitur condemnatoriam suam sententiam jam antè in Christum latam denuò repetunt. *Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audivimus ex ore ipsius scilicet blasphemiam*, prout in primo confesso hanc confessionem blasphemiam damnauerunt. Sic ergo denuò Christus injustè damnatus est, ut nos miseros peccatores jure damnandos redimeret, ac Pater cœlestis propter ipsum in iudicio suo

nos absolueret, quam consolationem verà fide apprehendamus, & in mundi odiis, calumniis ac persecutionibus Christi exemplo nos solemur, elevantes animum ad futuræ vitæ gloriam & cœlestia præmia nobis promissa, sicut Christus hoc loco in passione sua animum & oculos attollit ad majestatem dextræ divinæ, ad quam post passionem ac mortem sese collocandum esse noverat, quæ ex superioribus plenius intelligi & à quovis industrio Scripturæ interprete latius explicari possunt.

*Christe tui capitis colaphi mea vulnere sanant,  
Emundor spuis optime Christe tuis.*

## CAPUT CXC.

## CHRISTUS AD PRÆTORIUM ROMANI PRÆSIDIS DEDUCITUR; JUDAS PRODITOR DESPERAT.

MATTH. 27. v. 5. MARC. 15. v. 1. LUC. 23. v. 1.  
JOHANN. 18. v. 28.

## RATIO ORDINIS.

**I**X confesso Synedrii Ecclesiastici matutino ad prætorium fuisse Christum abductum, uno ore affirmant Evangelistæ. Nulla igitur de connexionione Historiarum potest esse dubitatio. Ut Matthæus, Marcus & Lucas testantur, summo mane alterum illud Concilium *Φουκόβ* à Pontificibus fuisse institutum: ita Johannes asserit, *fuisse adhuc mane*, cum Jesus à Caiapha ad prætorium adduceretur cap. 18. vers. 28. Statim namque, ut videbantur sibi probabilem quandam causam reperisse, propter quam coram Præsidente Romano emunctæ naris homine Christum accusare & capitalis sententiæ executionem postulare possent, sine ulla mora ad prætorium eum abducunt, ut ante paschalis solennitatis exordium è medio tollatur, in quo sanguinario suo proposito non mediocriter confirmabatur ex eo, quod promiscuam plebem, quæ paulò antè gratulabunda Christum exceperat, seignius ipsi favere, imò etiam adversari conspicerent. Interitum proditoris quod attinet, illum solus Matthæus describit, qui per particulam *ante* præcedentibus eum conjungit. Calvinus & quidam alii existimant, non designari à Matthæo certum temporis articulum, quo Judæ interitus contingerit, siquidem Judas dicatur proditoris mercedem Pontificibus ac Senioribus in templo congregatis retulisse. Jam verò ex ædibus Caiaphæ rectà in prætorium abierant, ubi usque ad vesperam permanserunt, ut ex sequenti Historia intelligitur, proinde non videntur eo die in templo reperiri potuisse. Statuit igitur Calvinus, Evangelistam non respectu habito ad seriem Historiæ, sed tantum occasione, quadam Judæ desperationem inferere, quia enim de tragico Synedrii furore agebat, mortem quoque Judæ, in qua melius apparuit cœca eorum obstinatio & quasi ferrea durities, inferere voluit. Auctor quæstionum V. & N. Test. (quæ Augustino

solent falso ascribi) q. 94. ex Magistro Historiæ refert *Judam audita Christi resurrectione, quam non sperabat, sese suspendisse*. Autor Commentar. in Marcum (qui Hieronymo tribuuntur) putat post Christi ac latronum in cruce morte etiam Judam obisse. Sed hæc nondum à nobis impetrare debent, ut seriem Historiæ ab Evangelistâ neglectam esse, suspicari velimus. Quamvis enim ad verbum *ante* apud Matthæum non perpetuò designet præcisè illud temporis momentum, de quo in præcedentibus fuit actum Matth. 2. v. 16. cap. 14. & c. hoc tamen loco omninò illud designare videtur, sic enim habent verba Evangelistæ: *Tunc videns Judas proditor, quod damnatus esset &c.* ubi manifestum est, intelligi damnationem Christi coram Concilio Ecclesiastico, quam in præcedentibus Evangelistâ exposuerat, nequaquam verò eam, quæ à Magistratu politico postea facta commemoratur, neque enim dicit Evangelistâ, videns Judas, quod crucifixus esset Christus, sed quod *esset damnatus*. Ideo Augustinus in Psalmo 108. & alii ex veteribus rectè statuunt, ante Christi crucifixionem Judam suspendio periisse. Hilarius can. 32. in Matth. *Ita mortis Judæ tempus est comparatum, ut sub passione Domini commotis infernis supernis, omnibus & revulsis, & in oblivionem officii sui Univerforum Elementorum procuracione stupescita, nec inter mortuos videretur, nec inter vivos post resurrectionem haberet penitentia facultatem*. Comprobatur etiam hanc connexionionis seriem res ipsa. Judas sibi persuaserat, Christum divina virtute ex manibus hostium suorum dilapsurum, vel certe plebem, quæ ante dies non ita multos publica lætitia ipsum exceperat, nunquam permisuram, ut à Pontificibus Christus morti traderetur. Sed cum videret cogitatis suis eventum minimè omnium respondere, Christum in Synedrio Ecclesiastico morti adjudicatum, & ad prætorium duci, ut à Præsidente Romano sententiæ capita-

capitalis executio impetretur, plebem etiam huic decisioni minimè repugnare, sed comitari Pontifices Christum ad pratorium deducentes, tunc demum conscientia ex veterno suo evigilans Judam ita angebat, ut triginta argenteos turpem proditoris mercedem ad Pontifices referret. Quamvis verò tota multitudo Assessorum Synedrii dicatur Christum ad pratorium deduxisse, id tamen manifestum est συνεδοχικῶς de parte majore intelligendum esse, quidam enim ex illis templum adierunt Sacerdotalibus muniis in eo perfuncturi. Equis enim sibi persuadeat hypocritas hosce pietatis ac religionis speciem ubiq; sectantes ipso parasceves die in tanta peregrinorum frequentia cultum divinum penitus neglexisse? quin potius cum avaritia fordibus tot immergi fuerint, verisimile est, ipsos cupide arripuisse occasionem acquirendi lucri ex agnis paschalibus, quos tum Hierosolymitani, tum peregrini ab ipsis emere vel certè inspectioni eorum listere cogebantur Lev. 17. v. 5, Joh. 2. v. 14. &c.

Adde, quòd Matthæus nusquam dicat, Sacerdotibus in templo fuisse pecuniam à Juda relatum, sed absolute pronunciat Sacerdotibus & Senioribus fuisse datam, sive in domo Caiaphæ, sive in via ad Pilatum, cum verò illi proditoris precium acceptare nollent, tunc demum in templum argenteos projicit. Arguit hoc ipsum gravitatem sceleris in Pontificibus, quòd audità proditoris revocatione, ac viso horribili ejus interitu nihilominus Christi innocentis sanguinem sitiunt. Omnino igitur statuendum Judam prius interiisse, quam Christus ad supplicium fuerit ductus, sed emtio agri figulini ex mercede proditoris alio fortassis tempore contigit, in hunc tamen locum ab Evangelista fuit relata ob complementum Historiæ, interim paulò post Salvatoris mortem hanc emtionem agri contigisse, colligitur ex Actor. 1. v. 18. ubi Petrus ante missionem Spiritus sancti de hac emtione, velut re diu prateritâ loquitur.

CHRISTI AD PRÆTORIUM DEDUCTIO ET JUDÆ PRODITORIS DESPERATIO.

MATTH. 27.

- 2. Καὶ πάντες οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι τῆς λαῆς ἤσαντες αὐτὸν (Ἰησοῦν) ἀπήγαγον καὶ παρέδωκαν αὐτὸν Ποντίῳ Πιλάτῳ τῷ ἡγεμόνι.
- 3. Τότε ἰδὼν Ἰούδας ὁ προδοτὴς αὐτὸν ὅτι κατεκέρθη, μετὰ μεληθεῖς ἀπεστρέψε πρὸς τριάκοντα ἀργύρια τοῖς δόχαις τοῖς πρεσβυτέροις.
- 4. Λέγων ἡμερῶν προδοτὴς αἵμα ἀθώου, οἱ δὲ εἶπον τί φέρες ἡμεῖς; ἂν οὐκ.
- 5. Καὶ ῥίψας τὰ δόχαια ἐν τῷ ναῷ ἀνεχώρησε καὶ ἀπῆλθεν ἀπηγγεῖλαι.
- 6. Οἱ δὲ ἀρχιερεῖς λαβόντες τὰ δόχαια εἶπον, καὶ ὅτι ἐξέστι βαλεῖν αὐτὰ εἰς τὴν κορβανὰν ἐπεὶ τιμὴ αἵματος ἐστίν.
- 7. Συμβουλευσάντων ἡ δὲ λαὸν ἤρροσαν ἐξ αὐτῶν τὸν ἀγρὸν τῆς κεραμείας εἰς τὸ φῶν τοῖς ἕξοις.
- 8. Δις ἐκλήθη ὁ ἀγρὸς ἐκεῖνος ἀγρὸς αἵματος ἕως τῆς σήμερον.
- 9. Τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν Δαὶ Ιερემίᾳ τῆς προφητείας λέγοντος, καὶ ἔλαβον πρὸς τριάκοντα δόχαια πνίμι μὲν τὸ τέλει μέρους οὐ ἐμίσησαν τοὺς δόκους Ἰσραὴλ.
- 10. Καὶ ἔδωκαν αὐτὰ εἰς τὸν ἀγρὸν τῆς κεραμείας καὶ συνέταξέ μοι κύριος.

- 2. Et (omnes Principes Sacerdotum & Seniores populi) vinctum eum (Jesum) abduxerunt & tradiderunt Pontio Pilato Prasidi.
- 3. Tunc videns Judas, qui eum prodiderat, quod damnatus esset, penitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & Senioribus.
- 4. Dicens, Peccavi, tradens sanguinem innoxium. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris.
- 5. Et projectis argenteis in templo, recessit & abiens laqueo se suspendit.
- 6. Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia precium sanguinis est.
- 7. Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum.
- 8. Quapropter vocatus est ager ille, ager sanguinis, usque in hodiernum diem.
- 9. Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem, Et acceperunt triginta argenteos, precium estimati, quem estimatum emerunt à filiis Israel.
- 10. Et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.

MARC. 15.

- 1. Καὶ οἱ δόχαιες μὲν τῆς πρεσβυτέρων καὶ γραμματέων καὶ ὅλων τῶν συνειρηθῶν ἤσαντες αὐτὸν ἐν Ἰησοῦν ἀπήγαγον (ἀργύριον) παρέδωκαν αὐτὸν Πιλάτῳ.

- 1. Et (summi Sacerdotes cum Senioribus & Scribis ac toto confessu) vinctum Jesum abduxerunt, tradideruntque Pilato.

LUC. 32.

- 1. Καὶ αἰασάντων αὐτὸν τὸ πλῆθος αὐτῶν (δόχαιες καὶ πρεσβυτέρων) ἤγαγον αὐτὸν ἐπὶ τὸν Πιλάτον.

- 1. Et surgens universa multitudo eorum (Pontificum & Seniorum) duxit illum (Jesum) ad Pilatum.

JOHANN. 18.

- 28. Ἀγάσων ἔν τῷ Ἰησοῦν δὸς τῆς Καϊάφα εἰς τὸ πραιτώριον, ἧς ἡ πρώτη.

- 28. Ducunt ergo Jesum à Caiapha in pratorium, erat autem manens.

HARMONIA HUIUS HISTORIÆ.

Καὶ ἀναστὴν ἄπαν τὸ πλῆθος αὐτῶν, (πάντες οἱ δόχαιες μὲν τῆς πρεσβυτέρων καὶ γραμματέων καὶ ὅλων τῶν συνειρηθῶν) ἤσαντες αὐτὸν ἐν Ἰησοῦν ἀπήγαγον (ἀργύριον) δὸς τῆς Καϊάφα εἰς τὸ πραιτώριον ἔπι τὸν Πιλάτον, ἀπήγαγον καὶ παρέδωκαν αὐτὸν Ποντίῳ Πιλάτῳ τῷ ἡγεμόνι, ἧς ἡ πρώτη ὅτε ἰδὼν Ἰούδας ὁ προδοτὴς αὐτὸν,

Et surgens universa multitudo eorum (omnes scilicet Principes Sacerdotum cum Senioribus populi & scribis & universo confessu) vinctum Jesum abduxerunt à Caiapha ad pratorium ad Pilatum & tradiderunt eum Pontio Pilato Prasidi, erat autem manens. Tunc videns Judas qui eum prodiderat, quòd damnatus



ὅτι κατεκρίθη, μετὰ μεληθῆεις ἀπέσπευε τὰ τεράκοντα δραχμὰ τοῖς δρχεροῖσι καὶ τοῖς πρεσβυτέροις, λέγων, ἡμαρτὸν ὡς δαδίδος αἷμα ἀβῶον, οἱ ᾗ εἶπαον, τί πῶς ἡμᾶς; συ ἀψὲς καὶ ἡψὺς τὰ δραχμὰ ἐν τῷ νεῷ ἀνεχώρησε καὶ ἀπλῆθαι ἀπηγγάγετο, ᾗ δρχιερεῖς λαβόντες τὰ δραχμὰ εἶπον, οὐκ ἔστι βαλεῖν αὐτὰ εἰς τὸν κορβόναι, ἐπεὶ τιμὴ αἵματός ἐστι, συμβῆλιον ᾗ λαβόντες ἠγόρευον ἐξ αὐτῶν ἄργεον τὴ κεραμῆως εἰς τὰ Φαί τοῖς ξένοις, διὸ ἐκλήθη ὁ ἄργος ἐκεῖνός ἄργος αἷματός, ἕως τῆ σήμερον. τότε ἐπληρώθη ἡ ὄρη τὴν Δακ τερμῖα τὴ προφήτη λέγοντι, ᾗ ἐλαβον τὰ τεράκοντα ἀργεῖα τῶν ἡμεῶν τὴ τελεμηνῶν, ἢ ἐλημῆσαντο ἀπὸ ἡμῶν Ἰσραηλ, καὶ ἔδωκαν αὐτὰ εἰς τὸν ἄργεον τὴ κεραμῆως κατὰ τὴν πνεῦμα μοι κῆρυξ.

tus esset, penitentiā ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & Senioribus, dicens: Peccati tradens sanguinem innoxium. At illi dixerunt, quid ad nos? tu videris. Et projectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit. Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia precium sanguinis est. Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum, quapropter vocatus est ager ille ager sanguinis usque in hodiernum diem. Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem. Et acceperunt triginta argenteos precium aestimati, quem aestimatum emerunt à filio Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.

Exegesis hujus Historia.

Expositis illis, quæ in horto & coram Caiapha gesta sunt, succedit tertius actus Historiæ continens gesta coram Pilato Praside Romano. In horto Christus coram judicio Patris sui cœlestis steterat, audiens sententiam de morte pro peccatis humani generis subeunda. In ædibus Caiaphæ coram judicio Ecclesiastico morti adjudicatus erat, hic vero ad judicium politicum deducitur, ut coram eo quoque condemnatoriam sententiam audiat, mox audimus ipsum ad Herodis etiam tribunal fuisse pertractum. Hæc omnia propter nos sustinere voluit. Primi parentes nostri triplici sententiæ condemnatoriæ per peccatum sese fecerant obnoxios, primam audierunt in ipso Paradiso. Adam ubi es? Gen. 3. v. 10. Quis indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? v. 11. Mulier, quare hoc fecisti? v. 13. Alteram expulsi è Paradiso audierunt. Maledicta terra in opere tuo cum molestia comedes ex ea cunctis diebus vite tue. v. 17. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumtus es; quia pulvis es & in pulverem reverteris v. 18. Tertiam sententiam definitam in extremo judicio audire fuissent coacti, nisi propter Filium Dei intercessorem in gratiam fuissent recepti. Nos ipsi quoque propter transgressionem primorum parentum triplici judicio obnoxii sumus, scilicet judicio Dei in hoc mundo, variis puta calamitatibus, quæ vocantur Dei judicia. 1. Cor 11. v. 32. 1. Pet. 4. v. 17. judicio extremo & judicio ignis infernalis æterno, sed Christus sibi voluit tribunali judicii divini & humani, ut nos absolveremur coram tribunali Dei. Prior igitur pars Historiæ exponit Christi coram Pilato præsentationem, posterior Judæi proditoris desperationem.

etiam calliditatem eorum arguit. Noverant, multos in populo propter genus doctrinæ & beneficia miraculorum impense Christo favere, proinde summo mane, antequam populus conflueret, mortis sententiam executioni dari à Pilato Præside postulant. Fuit autem hic Pilatus Præsides Romanus, ab Imperatore Romano Tiberio in Judæam missus, ut ipsius loco summum imperium in ea exerceret; ac post subjugatam à Romanis Judæam fuit hic Pilatus sextus Provinciæ Præsides, ut colligitur ex Joseph. l. 18. antiq. Jud. c. 4. Primus erat Cyrenius tempore natalitiorum Christi, secundus Coponius, tertius Marcus Ambivius, quartus Annius Rufus, quintus Valerius Gratus, sextus Pontius Pilatus, coram quo circa annum regiminis octavum hæc gesta sunt, quæ in sequentibus commemorantur. Lyranus operose disputat, an Pontii, an vero Pilati nomen ipsius fuerit proprium. Aliqui dicunt, inquit, quod Pilatus fuerit nomen ejus proprium compositum ex nomine matris, quæ dicebatur Pila, & Patris, qui dicebatur Atus, Pontius verò ipsius cognomen, quia fuerat Judex missus à Romanis ad Insulam Pontianam, sicut hoc assumpsit habetur in Legenda aurea. Sed stolidum illud Legendæ aureæ commentum, (quam Ludovicus Vives ab homine ferrei oris ac frontis æneæ conscriptam esse rectè asserit) ipsemet Lyranus repudiat. Quia (inquit) ibi multa habentur de hoc, quæ videntur primæ specie falsa, ideo aliter dicendum, quod Pontius erat nomen ipsius proprium, quia præponitur cognomini Pilati, & quia hoc nomen usitatum est in Burgundia, unde Pilatus erat oriundus, siquidem erat patriâ Lugdunensis, Josephus semper eum vocat Pilatum sine adjecto Pontii nomine. Sabellicus statuit, ipsum Forchemii Francorum esse natum. Prætorium, ad quod Christus h. l. ducitur, quidam statunt fuisse locum judicii publici à privatis Pilati ædibus distinctum, quia uxor ejus ad ipsum pro tribunali sedentem misisse dicitur. Sed hoc argumentum est incertum, potuit enim ad eum mittere & quidem longè commoedius, si vel maximè in iisdem ædibus judicium fuerit institutum, in quibus habitabat. Alii igitur præsertim illi, qui terram sanctam perlustrarunt, statuunt prætorium fuisse palatium Præsidis Romanorum arcis Antoniæ proximè adhærens reliquis urbis ædibus pulchrius, amplius atque eminentius, in quo Præsides & habitabant, & jus dicebant, Adrichomius in theatro terræ sanctæ refert, quod ad illud viginti octo gradibus marmoreis ascendendum fuerit. Est autem πραιτωριον nomen Latinum, quod Præsides Roma-

Romanus unâ cum potestate ac jurisdictione in provinciam Judæam secum attulerat, illud igitur ut vulgatum ac notum Evangelista retinuit. Syrus itidem vocat ירושלים quo significatur & domus prætoris & locus, in quo jus dicit, descendit enim à nomine Prætoris, quod Cicero lib. 3. de legibus factum putat à præcundo, quia jure dicendo & auctoritate populis Prætores præeant. Pilatum Evangelistæ vocant ἡγεμόνα Ducem, Præsidentem, Præfectum, descendit enim ab ἡγεμονία Præsulum, præco imperio, siquidem Præsides Romani, quos vocabant præsides provinciarum, cum imperio mittebantur in provincias potestati Romanorum subiectas, interim tamen rationem gestæ administrationis Senatui, populoque Romano ac mutatâ Reipublicæ Imperatori reddere cogebantur. Plutarchus in Romulo scribit, Romanos appellasse *Patres conscriptos*, quos Græci ἡγεμόνας suo etiam tempore vocarent, ex quo nomen illud potestatis ac dignitatis procul dubio ad Præsides provinciarum post eâ descendit, unde & Syrus Græcam appellationem retinuit. Tradiderunt eum Pilato Πραΐδην Præsidi. Quare verò Procures Judaici Christum hoc loco ducunt ad Præsidentem Romanum? Theophylactus respondet, *ad multos judices ducunt Dominum opinantes sese ipsum majori contumeliâ affecturos, sed reverâ per multa tribunalia clarum reddunt. Quidam respondent, quod non contenti vulgari quodam supplicio Christum affici crucifixionis supplicium solis Romanis usitatum ipsi irrogari voluerint, ut & vitam & famam ipsius unâ eademque opera extinguere possent. Sunt qui existimant, quod Christum ideo ad Pilatum abduxerint, quia reveriti fuerint turbam, à qua cum tripudio & publica acclamatione Christus fuerat receptus, voluisse igitur ipsos invidiam mortis Christo illatâ à se in Præsidentem Romanum transferre, qui non ita pridem in seditiosos quosdam Galilæos severè animadverterat, Luc. 13. v. 1. unde Actor. 5. v. 28. dicunt: *vultis inducere super nos sanguinem hominis istius, hoc est, vestris concionibus persuadentis populo nos esse autores supplicii, cum tamen Præsidis Romani auctoritate interfectus sit.* Augustin. tract. 114. in Johann. *Judæi isto modo ab interfectione Christi se velut alienos facere voluerunt.* Nec absurdè dicitur, quod militibus prætorianis ac cohorte Præsidiarîa populi tumultum, si quis fortè hoc nomine excitandus esset, compescere cogitarint, sicut jam antè eorum operâ in captivando Christo fuerant usi. Potest etiam circumstantia temporis aliquid monere. Festum Paschatos in proximo erat, quo solebant quendam ex vincis morti à judicatum dimittere liberum, ut ex sequentibus intelligitur, tantum abest, ut mortis supplicium eo tempore irrogare consueverint. Sic Actor. 12. v. 4. Herodes Petrum comprehensum servat in carcere, ductus reverentiâ festi Paschalis volens post exactas ferias populo eum producere. Ne igitur sanguinis effusione ipsimet se contaminarent, Pilato Præsidi Christum tradunt, ut ipse sit executor sententiæ contra Christum lata. Si enim sanctuli hi ne quidem ingredi volunt in locum judicii, ne contaminarentur, sed ut possent manducare Pascha, quantò minus cum sanctitate ipsorum & reverentiâ erga festum conveniret, ultimum capituli supplicium alicui irrogare? Chrysostr. Harm. Tom. III. vel Gerbard. Cont. pars quarta.*

homil. 85. in Matth. *Quoniam interficere ipsum statuerunt & propter diem festum non potuerunt, ad Pilatum eum ducunt.* Hæc omnia rectè quidem cogitantur, interim tamen primaria & principalis causa deductionis ad Præsidentem Romanum hæc est, quod potestatem judiciorum capitalium unâ cum imperio amiserant, siquidem jus gladii unâ cum sceptro Judaico ad Romanos transferat, sicut post eâ ipsimet fatentur: *Nobis non licet interficere quemquam* Johann. 18. v. 31. R. Moses de Kotli libro præceptorum 188. *Quadragesima annis ante destructionem templi secundi migravit Synedrion è loco suo, quia multiplicati fuerunt sicarii & abolita judicia animarum ex Israel.* Scalig. animadvers. in Euseb. fol. 182. *Quadragesima annis ante templi excidium plus minus abolita fuerunt judicia animarum, id est, capitalia.* Eleazar ramen filius Zadoc, qui vixit ante excidium illud, testatur, se vidisse filiam Sacerdotis, quæ scortata fuerat, quam comburebant fascibus palmitum. Eversum autem est templum & urbs Hierosolyma Anno à nativitate Christi 71. quod si triginta tribus annis vitæ Christi addantur quadragesima illi anni, intelligitur biennio antequam Christus crucifigeretur, ademptam fuisse Judæis suppliciorum capitalium irrogationem. Relicta quidem ipsis erat libertas religionis & quædam *ἀνομοία*, unde etiam poterant causas legem Mosaicam & cultum Leviticum concernentes cognoscere & pœnas quasdam leviores inferre, sicut Actor. 5. vers. 18. Apostolos in custodiam publicam conjiciunt, ac vers. 40. eosdem virgis cædunt. Paulus etiam refert, se à Judæis quinquies quadragenas minus una accepisse ac ter virgis cæsum esse. Actor. 16. vers. 22. 2. Cor. 11. v. 24. & 25. sed capitalia supplicia sine consensu & autoritate Romani Præsidis inferre non poterant. Cum enim ipsi non habuerint in carcere vinclos aliquos mortem promeritos, inde quotannis à præside Romano petere cogebantur, ut in festo Paschatos in ipsorum gratiam aliquem dimitteret. Josephus etiam lib. 20. antiq. Judaic. cap. 8. commemorat, Ananum Pontificem, quod Jacobum fratrem Jesu & alios quosdam viros bonos coacto judicium Concilio reos impietatis peractos lapidandos absque consensu Romani Præsidis tradidisset, Pontificiâ dignitate privatum fuisse. Videtur autem huic sententiæ adversari, quod Stephanum Act. 7. v. 58. & Paulum Actor. 14. v. 19. lapidarunt, quodque filiam Sacerdotis, quæ scortata fuerat, paulò ante excidium urbis flammis subjecerunt, sed rectè responderetur, id factum esse non post legitimam causæ cognitionem & certo judicii ordine, sed cæco quodam populi furore, atque impetu, sicut in Historia Stephani commemoratur, Actor. 7. v. 54. *audientes hæc dissecabantur cordibus suis & stridebant dentibus in eum, vers. 57. exclamantes autem vocem magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum.* Baron. ann. 34. num. 76. ex eo, quod Christus à Pontificibus mortis fuerat factus reus, colligit, *Judæos jus capitalis supplicii irrogandi adhuc habuisse.* Sed distinguere debebat inter cognitionem & executionem, cognitio adhuc penes Judæos mansit, sed ultimam sententiam exequendi jus non habuerunt. Hæc igitur est principalis causa deductionis ad Pilatum, quæ ipsos Judæos admonere potuisset de ad-

adventu Messia, nisi planè excœcati & obdurati fuissent, siquidem prædictum Genes. 49. v. 10. *non auferendum esse Sceptrum de Juda, neque ducem de femore ejus, donec veniat Silob, Ubi LXX. habent vocem ἡγεμῶν* jam verò hoc loco non amplius erat ἡγεμῶν Israeliticus sed alienigena, videlicet Romanus, utique ergo venerat Messias, quem ipsum sese esse variis documentis ac divinis miraculis Jesus Nazarenus comprobaverat, in quem ultimo supplicio animadverti à Præsidi Romano homines occœcati postulant. Nobis verò convenit circa hanc deductionem Christi ad Præsidem Romanum *ad manum & consilium Dei* respicere, Act. 2. vers. 23. cap. 4. vers. 28. Si cœco Judæorum furori frena divinitus laxata fuissent, atque non minùs in Jesum hoc loco, quàm postea in Stephanum impetum fecissent, ac vel unguibus discerpissent: factâ etiam sibi per Pilatum potestate, ut secundum legem suam ipsum judicarent Johan. 18. vers. 31. promptissimè eam arripuissent & Christum ut Pseudopropheta ac blasphemum à se judicatum lapidibus obruissent, sed divinâ providentiâ factum, ut ad gentilem judicem Christus abduceretur, nec seditioso quodam impetu, sed publico judicio damnatus occideretur. Nos divino judicio tenebamur obstricti, Christus igitur, cui reatus noster legitimo Dei judicio declaratus incumbebat, propter nos judicio sisti & innocens damnari voluit. Nos promeriti eramus per peccatum, ut ignominia sempiternâ afficeremur & *abominatio essemus omni carni* Esa. 66. vers. 24. Christus verò nostro loco sese sistit & ab uno tribunali ad aliud cum publicâ ignominia protractus sit ludibrium ac spectaculum mundo. Neque oscitanter prætereundum, quòd Romano, hoc est, Ethnico Præsidi Christus judicandus sistitur. Sicut Israelita nati ex tribu Juda Samsonem Philistæis vincitum tradunt Jud. 15. vers. 13. sic Judæi cœlestem Samsonem ac Nazarenum gentilibus vincitum tradunt. Cum primis verò evidenter hoc ipsum prædixerat Christus Matth. 20. vers. 19. Marc. 10. vers. 33. Luc. 18. vers. 31. *filius hominis tradetur gentibus &c.* Erasmus *sub aliena potestate tenebrarum* Coloss. 1. vers. 13. ab alienati à Deo Domino nostro Ephes. 4. vers. 18. Christus in ipsa statim nativitate propter nos subjicit se alieno Magistratui Luc. 2. vers. 1. & hoc loco coram Præsidi Romano accusatur, ut in veram libertatem iterum nos asserat Joh. 8. v. 36. Injustè condemnatus erat à Proceribus populi Judaici, nunc sistitur etiam coram Præsidi Ethnico, sicque passio ipsius per Judæos inchoata, per gentiles fuit consummata, ut pro totius mundi peccatis passione suâ sese satisfacere ostenderet. Pontifices, Scribæ ac Seniores erant capita populi Judaici, ac repræsentabant totum populum Judaicum: Præsides Romanus Imperium gerebat nomine & loco illius, qui totius populi gentilis, imò totius orbis caput erat, puta IMPERATORIS Romani. Christus igitur coram Concilio Pontificum Judæorum & coram tribunali Præsidis Ethnici voluit sisti, accusari & damnari, ut uterque populus ac proinde totus orbis, qui in *Judæos & gentes* sive Græcos distinguitur Rom. 2. v. 9. Gal. 3. v. 28. &c. agnoscere cogere, se esse reum mortis Christo illatæ ac propter communem reatum com-

munem gratiam in Christo speraret. Hierosolyma erat Judææ metropolis, regni & Sacerdotii sedes, Roma erat imperii inter gentes amplissimi sedes atque caput, quòd igitur hæ duæ præcipuæ totius mundi civitates Christum occidunt, quidnam aliud eò denotatur, quàm quòd propter totius mundi peccata Christus mortem subire voluerit, quodque fructus hujus mortis ad omnes homines Judæos ac gentes pertineat, sicut August. Epist. 171. dicit. *Passio Christi est precium orbis terrarum.* Sanè Judæis peculiariter promissus erat Messias, Matth. 15. v. 24. Act. 13. v. 46. Roman. 15. v. 8. quia verò juri suo hoc loco sese quasi abdicant, dum Christum ad gentes à sese mittunt, inde factum, ut gentiles in locum ipsorum successerint ac privilegiis ipsorum perfruantur. Justè postmodum traditi sunt Romano exercitui, qui Messiam ac Regem suum tradiderunt Romano Præsidi. Insuper etiam hoc sine ad Præsidem Romanum divinâ providentiâ Christus est abductus, ut crucis supplicium ipsi irrogetur, de quo mortis genere, quæ extent vaticinia, quivè typi, suo loco inferius commemorabitur. Apud Judæos non erat usitatum crucifixionis supplicium, (unde Rabini dicunt: *non est mos in Israele, ut vivos figant in manibus aut pedibus hominum, qui lapidati aut suspensi fuerunt*) sed ut habetur in Thargum super caput 1. Ruth & apud R. Salmonem in lib. Sanhedrin. Babyl. cap. Arba mittoth; *Quatuor supplicia tradita sunt domui judicii, lapidatio, combustio, occisio gladii sive decollatio & suffocatio seu strangulatio.* In locum מיתת סוּפּוּקוּת suffocationis successit sub Romanis צליבה crucifixio, per quam vivi in crucem agebantur facinorosi. Abducendus igitur erat Christus ad Præsidem Romanum, ut Prophetia de crucifixione impleverentur, quò respicit Johannes, quando cap. 18. v. 32. scribit: *Judæos ideo noluisse uti potestate à Pilato sibi concessa & Christum secundum leges suas judicare, ut impleveretur sermo Jesu, quem dixerat significans, quâ morte esset moriturus.* Quare verò ipsimet Proceres Ecclesiastici Christum ad Pilatum Præsidem ducunt? novum hoc erat & insolitum, aliàs namque per suos ministris ac lictores Præsidi adducebant eos, in quos poenâ capitali animadverti volebant, hic vero surgens universa multitudo Pontificum, Scribarum Seniorum populi, adeoque totus confessus, ad Pilatum abiit & lictores Christum Pilato adducetes sequitur. Procul dubio id factum est propterea, ut autoritate præsentia suâ prohiberent, ne tumultu in populo excitato Christus ex manibus ministrorum eriperetur: voluerunt etiam angustio totius Synedrii conspectu Præsidem permovere, ut absque ulteriori causæ cognitione mortis sententiam executioni daret, quam à tot prudentibus & circumspèctis judicibus uno ore in CHRISTUM pronunciatam audiret: conscii sibi in super erant judicii pessimè instituti, productorum *ψευδομαρτύρων*, noluerunt igitur testibus fidem habere, quorum pronuntiata tam malè coherencia mendacii suspensionem Pilato facile movere poterant. Denique voluerunt negotium maturari propter festum Paschatos proximè instans ac præsentia suâ prohibere, ne quidam ex populo causam JESU coram Pilato agerent, vel ad liberationem ipsius quicquam conferrent. Sic ergo lictorum consortio immiscentur, qui antistites religionis & capita

capita populi esse debebant ac supplices fiunt illi, cuius imperium extremè oderant, tantum ut Christum è medio tollere possent: quem admodum jam antè cum Judas Ischariote & exercitu militari in hortum ad capiendum Christum exierant. Idem adhuc contigit, ut Proceres Ecclesiastici quandoq; indigna personà & officio suo agant, modò veris Christi confessoribus fortunas, famam, adeoque ipsam interdum vitam eripere possint. Quod si idem nobis Christi membris contingat, quod in capite præcessit, ut propter confessionem Evangelii *ducamur* *ἡμεῖς* ad Præsides & Reges Matth. 10. v. 18. Marc. 13. v. 9. Luc. 21. v. 12. solemur nos exemplo Christi arque animo forti & intrepido simus dicentes cum Davide Ps. 119. v. 46. *Loquar de testimoniis tuis in conspectu Regum & non confundar.* Matthæus & Marcus peculiariter hoc notant, quod Christum *vincitum* ad Pilatum duxerint. *ἑσθημένους* ponitur in forma præteriti, *cum ligassent Christum*. Poterat igitur hoc intelligi per recapitulationem dictum de primis vinculis in horto oliveti Christo injectis, quæ per integram noctem in domo Caiaphæ gestarant, sed commodius intelligitur de novis vinculis post promulgatam mortis sententiam denuò ipsi injectis. Cogitari igitur potest, quòd solverint vincula, cum concilio suo manè ipsum siserent, ut confessio liberior censeretur, quæ nullà poenarum vi vel vinculorum constrictioe fuerit exorta, postmodum verò cum omnium suffragio morti adjudicatus esset denuò iniecerunt ipsi vincula, sicque manibus post terga revinctis & catenâ ferreâ collo vel etiam corpori circumjectâ ad Præsidem ipsum deduxerunt; moris enim erat, ut quem morti adjudicassent, eum vincitum ac ligatum Præsidi siserent. Et quia nocte antegressâ Christus à ministris conpatus, percussus ac miserè tractatus erat, ex eo intelligitur, quòd ipsum sputis foedatum ac sanguinolentis vibicibus rubentem per plateas civitatis duxerint, ut in extremum populi contemptum ipsam adducerent. Quomodo autem hæc vincula, vibices & sputa Christo injecta intueri debeamus, expositum est superius. Christus sapius vincitur, quia non uno vinculorum genere constricti eramus.

2. Antequam verò Matthæus exponat acta coram Præsidi Pilato, interferit Historiam de *Jude proditoris desperatione*. *Videns enim Judas, quòd Christus damnatus esset*, atque ad Præsidem Romanum ducetur, ut mortis sententia executioni daretur *penitentia ductus est &c.* Judas longè alium hujus negotii speraverat exitum. Noverat Christum aliquoties per medios hostes salvum & incolumem transisse ac manibus ipsorum esse elapsum. Luc. 4. v. 30. Joh. 8. v. 59. noverat Christum esse verum Nazarenum, cujus typus fuit Simson, qui disruptis vinculis ex Philistæorum manibus liberè exibat Jud. 15. v. 12. sperabat igitur CHRISTUM divinâ suâ virtute vincula injecta rupturum, inque libertatem sese asseriturum, unde illud hostibus CHRISTI dicens: *Ducite eum cautè*, ridens scilicet eorum insaniam, quòd omnipotentem DEI Filium corporis vinculis ligare conentur. Cum verò contra suam opinionem rem procedere videret, Christum scilicet coram Pontificibus morti adjudicatum ad Præsidem Romanum duci, ac populum in partes Sacerdotum concessisse, neque quenquam de ipso liberando cogitare, tunc demum pœ-

*Harm. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars quarta.*

nitentiâ ductus proditoris precium, triginta scilicet argenteos, Principibus Sacerdotum ac Senioribus retulit. Cogitari potest, Judam secutum esse Christum ex domo Annæ, in qua precium proditoris acceperat ad Caiaphæ ædes, ac vidisse, quomodo à Pontificibus ad mortem damnatus fuerit & à servulis miserè tractatus, quomodo insuper ad Præsidem Romanum vincitum & captivum ducetur, & tunc demum conscientia evigilaverit. Origen. tractat. 35. in Matth. vocem *καταέβη* refert ad ipsum Judam, quòd scilicet *se damnatum videns ob proditorem egerit penitentiam*. Sed hæc explicatio à textu est aliena, ostendit enim connexio de Christi ad mortem damnatione Evangelistam loqui, ideò Syrus expressè addidit nomen Jesu. Porro *μεταμέλειος* significat *penitentia duci*, & quia hæc Judæ penitentia fuit infrugifera, imò noxia & exitialis, ideò quidam disputant *μεταμέλειαν* ulurpari in vitio pro exitiali, *μετάνοιαν* verò in bono pro salutari penitentia. Sed exempla Scripturæ ostendunt discrimen hoc non esse perpetuum, cum vox *μεταμέλειος* de salutari penitentia usurpetur Matth. 21. v. 29. & 32. vox *μετάνοις* de infrugifera & exitiali Prov. 14. v. 15. Sap. 5. v. 3. Hebr. 12. v. 17. inde LXX. Interpretēs vocem *ἡμεῖς* promiscuè reddunt per *μεταμέλειος* Ezech. 14. v. 22. & *μετάνοις* Jerem. 8. v. 6. potest tamen aliquod discrimen inter hæc duo vocabula constitui. *μεταμέλειος* est post factum aliquod sollicitum atque anxium esse, ita ut in animo oriatur quædam displicentia, quâ quis rem factam optat esse infectam; quam displicentiam apud Latinos exprimit vox *penitentia*, quatenus significat dolorem in animo conceptum ob bonum omisum vel malum commissum. *μετάνοιαν* verò significat *post factum intelligere, erratum animadvertere & ac cogitare*, mentem in melius mutare & opponitur τῷ *μετάνοις*, inde voci *μετάνοις* apud Latinos respondet vox *resipiscencia* teste Tertull. l. 2. adverb. Marc. p. 212. & lactant. l. 6. divin. Infit. cap. 24. *μετάνοια* igitur plerumq; pro salutari & fructuosa, *μεταμέλειος* verò pro infrugifera penitentia, quæ caret fide ac spe veniæ, accipitur. *μεταμέλειος* magis exprimit dolorem & contritionem, *μετάνοια* verò mutationem mentis, sed usu Scripturæ, ut jam antè monuimus, hæc duo vocabula invicem permutantur. Syrus hoc loco habet verbum *ἠνέστη* *territus fuit stupuit, penituit*. Sic ergo Judam proditoris suæ tandem pœnitet, cum videret præsentissimum mortis periculum Christo impendere. Antè tam alto sopitus erat securitatis veterno, ut nullis admonitionum puncturis à Christo adhibitis excitari potuerit, hic verò conscientia è somno demum evigilat. Antea oculos ipsius arctissimè concluderat Satanas, ne magnitudinem ac turpitudinem peccati agnosceret, hic verò iidem aperiuntur ad gravitatē sceleris agnoscendam, sed Satanas objectâ peccati magnitudine velut densâ quadam nube ab intuitu divinæ misericordiæ eum impedit, prout antè à consideratione divinæ justitiæ oculos & animum ipsius averterat. Antè cordi Judæ amorem pecuniæ instillaverat atq; oculis ipsius pulcrâ speciem divitiarum objecerat, ut nil nisi pecuniam cogitare ac videre posset, nunc verò Christi innocentiam & facti commissi turpitudinem animo ipsius objicit, ut omnis pecuniæ amor & cogitatio, quin etiam divinæ misericordiæ recordatio ex animo ipsius elabatur,

batur. Antea Diabolus objecerat Judæ *speculum minorativum*, in quo peccatum proditiōnis apparuit filo tenuius, plumā levius & umbrā inanius: hinc verò post perpetratum peccatum objicit illi *speculum ingrossativum*, in quo peccatum apparet cœlo ac terrâ majus ac velut densissima nubes à conspectu Solis, hoc est, divinæ misericordiæ consideratione oculos mentis prohibens. Nimirum hæc est Natura peccati, hæc praxis Satanae, hæc in dolens sauciata conscientia. *Peccatum recens blanditur, patratum dormit, evigilans occidit*, dicunt pii veteres. Quemadmodum venenum ob dulcedinem suam avidè primùm hauritur, mox omnia turbat viscera & mortem infert, nisi alexipharmaco quodam homini succurratur: sic peccatum carni nostræ admodum dulce est, sed mortiferos aculeos in conscientia relinquit, excitat tumultus mentis & æternam infert mortem, nisi divino beneficiorum Christi alexipharmaco homini succurratur. Quemadmodum serpens facie blanditur, sed caudâ venenum instillat, sic peccatum primâ quidem facie blanditur, sed perpetratum vulnerat & occidit animam. Eccl. 21. v. 2. *Quasi à facie colubri fuge peccata, si enim accesseris ad illa, mordebunt te, dicitur qd.* (Vulgata legit *dicitur suscipiente te*, minùs rectè) vers. 3. *dentes leonis dentes ejus interficientes animas hominum.* v. 4. *quasi rompha dicitur bis acuta omnis iniquitas, plaga illius non est sanitas, πληγή ἢ αὐτῆς οὐκ ἔστιν ἰασις, non erit sanatio.* Peccatum cubat ad ostium Gen. 4. v. 7. hoc est, in tali quodam loco, in quo facile excitatur, sicut canis catenarius fomnum aliquandiu ad ostium simulat, sed ex improvise adoritur ingredienti. Quemadmodum igitur Satanas ad peccata nos sollicitans proponit nobis infinitam Dei misericordiam, ut ad peccatum eâ abutamur, post admistam verò peccatum exaggerat nobis divinam justitiam, ut in desperationis barathrum nos precipitet; ita pii in pugna contra tentationes Satanae contrario modo procedant, ante peccatum cogitent divinam justitiam, ne peccent; post peccatum commissum cogitent divinam misericordiam, ne desperent, quæ est utilissima regula Gersonis. Atq; hoc primum est in pœnitentia Judæ, quod scilicet peccatum agnoverit ac serios conscientia angores interitus senserit, quod factum suum cum dolore quodam animi fuerit detestatus, hæc enim omnia complectitur vox μεταμέλειος. Huic cordis contritioni conjungit oris confessionem. Confitetur enim publicè coram Pontificibus ac Senioribus, adeoq; coram toto populo suum peccatum. *Peccavi*, inquit *tradens sanguinem innocium*. Breve quidem verbum, *peccavi*, sed longum trahens secum epiphonema. Quid enim est peccare, nisi legem divinam transgredi, conscientiam suam vulnerare, iram Dei provocare, pœnas temporales & æternas sibi accersere, proximo scandalum præbere, potestati Satanae sese mancipare, gratiâ Dei, justitiâ, in habitatione Spiritus Sancti & omnibus bonis cœlestibus sese privare? Hæc omnia in corde suo verè sentit & ore confitetur Judas, quando se peccasse asserit. Utitur verbo *αἵμα πρᾶν* quod descendit à *μαρτυρῶ* apprehendo, assequor. Fatetur igitur se à peccato quasi apprehensum sive comprehensum, eâ habere ihu die *Gründe* ergriffen. Quod *sanguinem* nominat, phrasis est Hebraica, significans quod ad cædem & sanguinis effusionem ipsum prodiderit, quo sensu Gen. 4. v. 10.

dicitur sanguis Abeli ad Deum clamare, quia se effusio illius sanguinis vindictam divinam deposcebat. Sic *sanguis* dicitur *exquiri* Gen. 9. v. 5. c. 42. v. 22. quando ob effusionem sanguinis injustam irrogatur pœna. Eodem sensu dicitur *judicium sanguinis, ultor sanguinis, reus sanguinis, domus sanguinis* &c. Quamvis enim Judas hoc non spectarit, ut Jesus interficeretur, ac sanguis ejus effunderetur, quinimò contrarium planè speraverat, Christum sc. ex manibus hostium facili negotio in libertatem se asserturum; tamen quia Judas ignorare non poterat, holles Christi sanguinem ipsius sicire, & quia eventus ipsa ostendebat, ad proditiōnem sequi sanguinis effusionem, ideò hoc respectu sanguinem se tradidisse asserit. Vocat autem sanguinem *αἷον ἴσων* *innoxium*. *ἴσων* est *multa*, damnum alicui impositum, ἢ *ἴσων* *ἰσοπέτη* *τῆς ζημίας*, ut exponit Scholiastes Odys. β. inde *αἷον ἴσων* *innocens, insons*, qui nullam pœnam promeritus. Quando igitur Judas sanguinem Christi vocat *αἷον ἴσων*, sensus est, quod Christus nihil tale promeritus fuerit, ut ad sanguinis effusionem traderetur, eo ipso quoque fatetur, se gravissimè peccasse, quòd innocenter Christum in manus eorum tradiderit, qui de sanguine ipsius effundendo delibenter; Sic Pilatus Matth. 27. v. 24. pronunciat *αἷος ἐμῶν ἴσων* *sum à sanguine hujus justus*, h. e. agnosco hunc hominem esse justum, culpam igitur & pœnam sanguinis injuste fundendi nolo in me recipere. 1. Reg. 2. vers. 5. Abneri & Amasæ sanguis à Joabo effusus vocatur *αἷμα ἀθῶν*, *sanguis innocens*, sed in Hebræo est *מלחמה* *מלחמה* *מלחמה* *sanguis belli*. Alibi verò *αἷμα ἀθῶν* vocatur *נקי* Deut. 27. vers. 25. 1. Sam. 19. vers. 5. 2. Reg. 21. vers. 16. &c. Magna autem differentia est, quando Martyrum & injustè occisorum sanguis dicitur *αἷον ἴσων*, & quando Christi sanguis hoc loco *αἷον ἴσων* dicitur. Quamvis enim Martyres & injustè occisi non commiserint delicta, ob quæ sanguis ipsorum erat effundendus, tamen coram Deo non sunt innocentes & ἀναμάρτητοι. Exodi 34. vers. 7. *נקי לא יקרא נקי* *innocens non erit coram te innocens*. Sed Christi sanguis est modis omnibus *αἷον ἴσων* tam coram Deo, quam coram omnibus, cum nullâ peccati maculâ unquam fuerit contaminatus, Esa. 53. vers. 9. Hebr. 7. v. 26. 1. Pet. 2. vers. 22. ideò etiam in remissionem nostrorum peccatorum effundi potuit; quod de Martyrum sanguine dici non potest. Syrus habet vocem *נקי* *purus, immaculatus, innocens fuit*. Singulari verò Dei providentiâ factum, ut Judas proditor in medio passionis actu testimonium innocentia Christo daret. Sanè complures de CHRISTI innocentia in Historia passionis testantur, utpotè Pontifices, qui falsos testes conquirunt, Pilatus, Herodes, Pilati uxor, Centurio, ideoque ipsæ creaturæ irrationales, ut inferius audiemus. Sed Judæ testimonium peculiare est, ac præ reliquis probè notandum. Pontifices, Scribæ & Seniores habuissent magnam impietatis prætextum, quòd visi fuissent justè Christum è medio tollere, quippe quem proprius ipsius discipulus vili precio inductus tradiderat, cogitari enim poterat ipsum propter occulta quædam flagitia discipulis magis quam civis ex plebe nota à Magistro defecisse, sed cum Judas sceleris sui gravitatem, Christi verò innocentiam publicè testatur, omnis omninò prætextus



tus ipsis est sublatus. Chrysof. hom. 85. in Matth. *Ipsum mortis quo proditor perit eorum, qui Christum damnauerunt ora consuit (ἀποπέρας) nec fuit, ut umbram saltem excusationis inueniant.* Ubi Chrysof. aludat ad genus supplicii, quod sc. proditor laqueo vocem sibi intercluserit. Videmus etiam quanta vis sit innocentiae; licet mendacis & calumniis aliquandiu opprimatur, tandem tamen iterum emergit, sicut lux Solis è caligine nubium iterum emicat & erumpit, quemadmodum vis veritatis hoc loco Judam cogit, ut testimonium innocentiae det illi, à quo nefariam secessionem fecerat. Contritioni cordis & confessioni oris in poenitentia Judae conjungitur etiam operis testificatio, injustae scilicet possessionis restitutio, siquidem prodicionis mercedem triginta argenteos refert Principibus Sacerdotum & Senioribus. *ἄπορα φει* aliàs significat *avertere, convertere, retroflectere*, hoc loco ponitur in significatione ea, quam apud Hebraeos obtinent verba in Hiphil *ἀπέστειλε* *reverti fecit*, hoc est, retulit triginta argenteos. Antea triginta illi argentei tantoperè ipsius animo allubecebant, ut Magistrum ac Dominum suum propter illos proderet, nunc verò sunt prunae ardentes cor & animum ipsius urentes, ut diutius illos in sinu suo retinere nequeat. Ideò enim refert triginta argenteos, ut mercede iniquitatis sese exoneret & conscientiam suam aliqua ex parte hoc modo levet. Voluit etiam hoc pacto rescindere contractum cum Pontificibus initum, siquidem quando refert triginta argenteos, ipso facto dicit. Recipite argenteos vestros ac liberum dimitte eum, in quo prodendo me gravissimè peccasse agnosco. Recipite precium emtionis ac redde mihi obiectum venditionis. Hæc omnia in poenitentia Judae rectè se habent. Quòd enim poenitentia facti ducitur, quòd sceleris sui gravitatem confitetur, quòd pecuniam malè partam restituit, verè & seriè contritioni tribuendum est, per quam securos peccatores, admissi criminis occultatores & injustorum bonorum possessores condemnat ipse condemnatus. Omnino enim in poenitentia requiritur peccati agnitio & confessio, serius animi dolor & injusti boni restitutio juxta regulam verissimam, *Peccatum non remittitur, nisi ablatum restitueretur*, ubi sc. restitutio ac compensatio fieri potest. Quid verò poenitentiae Judae defuerit, quò minus ad remissionem peccatorum & vitam ipsi profuerit, postea videbimus: prius enim expendemus, quam absolutioem à Pontificibus, quibus poenitentiam suam per apertam confessionem exposuerat, acceperit *illi dicunt, Quid ad nos? tu videris.* Bona verba, quæso, nihilne ad vos, quòd sanguis Christi innoxius sit, quòdque Judas innoxium illum sanguinem tradiderit? à quibus ergo pecuniam illam ac prodicionis mercedem Judas accepit? à quibus innocens Christus ad mortem & sanguinis effusionem quarebatur? à quibus conducti erant falsi testes contra ipsum? à quibus morti adjudicatus erat? à quibus ducebatur ad Pilatum tanquam mortis reus? nonnè horum omnium vos estis autores, primi motores ac duces? nihilne igitur ad vos? sed hæc est Natura hypocrisios & securitatis, ut ad peccati agnitionem oculos hominis claudat. Pontifices ac Seniores aequè graviter vel etiam gravius peccaverant quam Judas, hic enim vendiderat Chri-

stum, illi verò emerant & ad vendendum pellebant: hic solùm tradiderat, illi verò conquisitis falsis testibus innocentiam ejus oppræsserant & coram Pilato falsis criminibus ipsum onerare ac mortem ejus procurare constituerant. Sed horum omnium supinà oblivione ac negligentia pressi, ne minimo quidem peccati sui sensu tanguntur. Judas & sese graviter peccasse & Christum innocentem esse confitetur, ex utroque sceleris sui admone-ri poterant. Si enim Judas peccavit vendendo, utique etiam illi peccaverant emendo. Si Judas peccavit sanguinem innoxium tradendo, illi multò magis peccabant innoxii sanguinis effusionem sitiendo. Si Christus est innocens, utique grave peccatum erit, coram Præsidente multorum criminum ipsum reum peragere & animam ejus quærere. Sed hæc necessaria consequentia ipsis vel non veniunt in mentem, vel, quòd verissimilius est, securè negliguntur & conscientiae morsus oppositis aliis argumentis speciem aliquam veri habentibus retunduntur, superbè enim respondent, *Quid ad nos? tu videris.* Potest quidem ad utrumque membrum prioris assertionis ex Judae audita hoc referri. Quid ad nos, quòd Magister tuus innocens est, & quid ad nos, quòd peccasti, sed quia addunt, *tu videris*, ex eo intelligitur, quòd ad membrum posterius propriè respiciant. Cur apud nos de peccato tuo conquereris? quid nobis hac querimonià molestus es, tu omnium optimè nosti quid feceris, an nocentem an verò noxium tradideris. Prodicionis precium semel probasti & in numerato accepisti, tu fac inde, quòd- cunque libuerit, noluerunt enim illud recipere, ut ex sequentibus intelligitur. Judas haud obscure in societatem criminis hac suà confessione eos asciverat, illi nec plenè consentiunt nec apertè repugnant ipsius verbis, sed jubent ipsum abire & res suas agere, nec sibi ulterius hoc nomine molestiam creare. *Quid ad nos?* inquit; Syrus reddidit. *Nos quid ad nos? tu noveris tu.* Atqui si vel maximè non pertinuisset ad illos tanquam ad sceleris socios, tamen pertinuisset ad illos tanquam populi pastores, quibus ratione officii incumberebatur ovem errantem reducere ac perditam quærere Ezech. 34, 4. quã in parte cum officio suo desint, re ipsa ostendunt, se esse in numero eorum, de quibus Dominus ibidem conqueritur. *Ve Pastoribus Israel qui pascebant seiplos &c.* Detestemur verò hanc negligentiam ac securitatem, curemus ea sedulo, quæ nostri sunt muneris ac quoties peccatores sensu iræ divinæ terri conpiciamus, cogitemus à peccatis illis nos non esse planè alienos, cum vel eadem, vel paria, quandoq; etiam graviora commiserimus, vel certè interiori corruptæ Naturæ impetu ad ea propensi simus. Tutæamur igitur & exhorrescamus judicia Dei in aliis, eademq; ut poenitentia *ὀδυνηρία* & incitamenta nobis proponamus, quam doctrinam tractat Christus Luc. 13 v. 3. Etenim si terribilis Dei judicium, quæ in sceleratis quandoq; conspiciuntur, negligamus & securitati nostræ indulgeamus, eo ipso gravius peccamus, quàm illi, quos ob enormia delicta in manus Dei incidisse videmus. Factum autem justo Dei judicio, ut Judas nullam apud illos vel gratiam vel consolationem inveniret, quorum favorem tamen carè, videlicet innoxio Christi sanguine, meratus fuerat. Ipsimet fuerant prodicionis autores &

impulsores, nunc verò querulum ac desperandum planè deserunt atq; omni penitus solatio destituunt, quin etiam superbo suo responso vel impetu quodam ad desperationis præcipitium propellunt. Vanum igitur est propter acquirendum vel conservandum humanum favorem peccare contra Deum creatorem. Periculosum est spem in hominibus collocare & contra conscientiam in gratiam hominum peccare; videmus enim quid solatii Judas à Pontificibus h. l. referat. Potest etiam hoc Pontificale responsum sic accipi, quòd testentur scelus Judæ in traditione sanguinis innocentis commissum atrocius esse, quam ut remissionem illius impertiri possint, ad proprias igitur satisfactiones ipsum remittunt, ut sibi ipsi quam potest optimè prospiciat. Hæc enim præmia adhuc hodie reportare solent, qui in gratiam Antichristianorum Præfulum Evangelicam veritatem abnegant, ut ad propria merita ac proprias satisfactiones ablegentur, ex quibus vel temeraria præsumptio vel finalis desperatio tandem nascitur, ut laqueus Judæ ostendit. Is enim angore animi augefciente, destitutus omni solatio *argenteos in templo projicit & recedens inde laqueo se suspendit.* Pontifices & Seniores noluerant oblatam prodicionis mercedem recipere, ne viderentur contractum emtionis ac venditionis rescindere. Judas igitur argenteos illos in templum projicit, ut cogat quasi Pontifices ad receptionem, cogitat enim neminem ex loco sacro pecuniam illam facile ad se recepturum, ex quo etiam intelligitur publicè in magna populi frequentia, in templo præfente, hæc esse gesta atq; innocentia testimonium Christo datum. *פיתול* sicut etiam *נרש* quo verbo Syrus utitur, significat propriè *disrumperè, dissolvere*, cum sonitum quodam ex iracundia aliquid projicere. Sensus igitur est, quod Judas marsupio, in quo triginta illos argenteos thesauri loco reconditos habebat disrupto, stomacho abundans pecuniam in templum profuderit. Projectis argenteis & edita publicâ confessione de Christi innocentia *ἀνεχώρησε* recessit in locum solitarium, sicut desperandi solent loca secreta quarere & hominum confortia fugere, ita enim usurpatur *ἀναχωρήειν* de secessu in locum desertum seorsim Matth. 1.4. v. 13. Joh. 6. 15 Act. 23. v. 19. LXX, utuntur pre *ברוח* fugit Jud. 4. v. 17 1. Sam. 19. v. 10. Syrus habet verbum *נרש* quod de secessu in desertum usurpatur Luc. 5. 16. Rectius autem fecisset Judas, si repullus à Pontificibus vel ad Christum ipsum, vel ad Collegas pristinos se. Apostolos perrexisset ac veniam peccati sui rogasset, quam quod in locum solitarium secedens tristitia indulget, hac enim solitudine occasionem præbuit Diabolo, ut ad desperationem ipsum sollicitaret, in qua tentatione Judas misere succubuit, abiens enim *laqueo se suspendit. ἀπ' αὐτοῦ* est *strangulari*, mortem sibi ipsi laqueo consciscere. Thucydides *καὶ ἐν τῷ δένδρῳ τῶν ἀπ' ἡγρον*. LXX. utuntur pro *קנר* *strangulari*, *suffocari* 2. Sam. 17. v. 23. quod alias vertunt *ἐπιπνίγει* Nah. 2. v. 12. *קנר* strangulatio est unum ex quatuor suppliciorum generibus apud Judæos usitatis, cujus hic erat modus. Immergebatur facinorosus in fimum usque ad genua & involvebatur collum ejus linteo duro, quod unus huc, alter illuc trahebat, donec efflaret animam. Strangulabantur verò in politia Judaica sex homi-

num genera. 1. percuciens patrem & matrem. 2. furans animam de Israel. 3. senex contradicens Confistorio. 4. Pseudopropheta & prophetans in nomine idoli. 5. rem habens cum uxore alterius. 6. traducens filiam Sacerdotis & subagitans eam. Hoc igitur supplicium Judas sibi irrogat & fit sibi ipsius carnifex, *קנר* *strangulavit animam* sive vitam suam, h. e. seipsum, habet versio Syriaca. A. 1. v. 18. additur *καὶ ὡρνήσθη γενόμενος* *ἐλάκησε μὲν* *καὶ ἐξέχυθη πᾶν τὸ πνεῦμα αὐτοῦ*, cum in faciem pronus recidisset, crepuit medius & effusa sunt omnia ejus viscera. Vox *ὡρνήσθη* usurpatur Sap. 4. v. 19. *ἦν ἔτι αὐτὸς ἀφ' οὐρανοῦ πρηνὲς, conquassabit illos voce interclusa præcipitatos*, qui locus cum hoc nostro conferri potest. Alibi in Scripturis hæc vocula non occurrit. Latinus Interpres vertit *suspensus* respiciens procul dubio ad verba Matthæi h. 1. sed *ὡρνήσθη* propriè non significat suspensum, sed pronum ac præcipitem *εἰς πρὸς ὠρον propendentem in caput*, cui opponitur *ὑψί* *supinus*. Cum vero præcipitatio à suspendio differat, siquidem qui se præcipitem in præceps, id est, in caput decidit; qui vero se suspendit, in pedes prolabitur, ideò quidam suspicantur legendum esse *ὡρνήσθη* vel *ὡρνήσθη γενόμενος*, *inflatus & tremefactus crepuit*, quia *ὡρνήσθη* est *inflari, intumescere ac disrumpi*. Sed nulla causa est satis urgens, propter quam ab usitata & recepta lectione discedendum sit, præterquam enim quòd *ὡρνήσθη* exprimit habitum ac gestum laqueo præfocati, qui est vultus in terram dejectus, ut monet Erasmus in ann. Act. 1. dici haud incommode potest, quòd Judas fracto laqueo pronus in terram ceciderit. Matthæus enim supplicii initium. Lucas verò finem & exitum describit. Judæ animus erat strangulatione vitam sibi eripere, laqueum igitur collo aptat ac fauces artè constringit, factum autem divina providentiâ, ut frangeretur laqueus, inde igitur Judas præceps in faciem cadit & vel aspero cuidam saxo vel trunco ligni acuto illisus, vel alias sine tali illusione venter crepat medius ac viscera effunduntur. *λακίω* enim idem est quòd *ἰσχυροῦ* inde *λακίς* *vultur*, ac vox *ἐλάκησε* eo videtur nos ducere, quòd non tam casus violentiâ, quam singulari vindictis Dei judicio venter crepuit medius. Veteres de interitu Judæ diversimodè statuunt. Oecumenius in c. 1. Act. ex Papiæ refert, Judam suspendio non esse extinctum, sed præcipitem in terram prolapsum supervixisse, ad magnum autem impietatis exemplum in hoc mundo permansisse, in tantum corpore inflatum, ut progredi non posset, atque ut via, per quam agi plaustrum facile poterat, ipsum non caperet, tandem verò eam currus levi cursu transiret, eo compressum & obivitum viscera effudisse. Hæc opinio procul dubio orta ex eo, quod pro *ὡρνήσθη* lectum fuit *πρηδῆεις* *ventre intumescens ac inflatus*, quâ voce LXX. utuntur. Num. 5. v. 27. Notum enim est ex Eusebio, quod Papiæ narrationibus Apostolicis pravam interpretationem addens, quædam fabulosa in Ecclesiam introduxerit, quæ tamen adhuc hodiè quibusdam magis allubescunt, quam simplicitas Apostolica, sicut Sixt. Senens. lib. 6. Biblioth. annot. 12. 22. & Baron. an. 34. num. 74. hanc Papiæ fabulam amplectuntur. Quidam referunt, Judam post membrorum omnium inflationem, post sanie cum vermes è toto corpore prorumpentes, post multa denique tormenta & ultionem in suo prædico tandem esse mortuum atq; illud præ-

prædium præ fœtore desertum & incultum postea mansisse. Vide Theophyl. in cap. 27. Matth. Hæc fabella fortassis orta est ex verbis Luca Act. 1. v. 18. *ἐκ τῆς ἀβύσσου τοῦ ζυγοῦ ἐκ τῆς μούρας τῆς ἀδύλας, ἐμίτ vel possedit agrum de mercede iniquitatis*; Atqui hæc agri acquisitio Judæ tribuitur, non quod reverâ agrum illum emerit ac possederit, sed quia Pontifices ex proditiōnis mercede agrum emerint, cum Judas projectis in templum argenteis sese suspendisset; sicut glossa interlin. rectè exponit, *possedit, h. e. possideri fecit*. Repudiatis igitur fabulosis illis narrationibus, Evangelistarum fidem secuti, statuimus, Judam suspendio sese prius strangulasse, mox disrupto laqueo præcipitem decidisse, ut omnia intestina ex ventre per medium fisco effunderentur. An verò in urbe, an extra urbem; an ex arbore, an ex trabe, an in agro vel horto se suspenderit, Evangelistæ nusquam exprimunt. Botanici ostendunt arboris speciem ad suspendiendam Judæ electam, quam ob id vocant arborem Judæ. Juvenus Poeta Christianus ex fisco ipsum pependisse statuit, sic enim de eo canit lib. 4. Hist. Evang.

*Exorsuque suas laqueo sibi sumere pœnas,  
Infamem rapuit fisco de vertice mortem.*

Tribuendum illud est poetica licentia, quæ per figuram synecdochés fisco pro arbore in genere ponit, postea verò Beda de locis sanctis cap. 4. tanquam rem certam & exploratam illud narrat. Adrichomius in teatro terræ sanctæ *Sycomororum* fuisse ait, eamque adhuc extare, locum verò suspendio assignat ad occidentem montis Sion in quadam sylva. Illud majori cum fructu inquiritur, unde in desperationem illam Judas prolapsus fuerit, ut cum sacrilega proditiōnis mercede ipsam quoque vitam suam nefariè projiceret? Procul dubio conscientia è veterno securitatis excitata memoriæ ipsius suggestit omnia, quæ à Christo audierat, quæque ab ipso facta conspexerat. Ultra triennium cum ipso conversatus summam puritatem, sanctitatem & innocentiam ipsius fuerat expertus, mellifluis conciones audierat, quam plurima beneficia in agros colata viderat, prædictionum veritatem senserat, quare cum Christus resurrectionem suam aliquoties prædixisset, cogitat pessimè secum actum iri. Quin & verba illa Christi, in ultima cœna Matth. 26. v. 24. *Filius hominis quidem vadit, sicut scriptum est de illo, v. e. autem homini illi, per quem Filius hominis traditur, bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*: hæc, inquam, verba Christi fuerunt horribilia tonitrua ac fulmina in conscientia Judæ. Quare cum perpetuam illam carnificinam & flagella conscientia propriæ diutius perferre non posset, ut tristis desperataque vitâ eò citius liberaretur, laqueo gulam sibi prætrinxit. *Scelerator omnibus ô Judæ, in felicio extitisti* (inquit Leo serm. 111. de pass.) *quem non penitentia revocavit ad Dominum, sed desperatio traxit ad laqueum*. Considerabat unicè sceleris sui contra ipsum Dei Filium commissi gravitatem, considerabat infinitam Dei à se offensi majestatem, cogitabat pœnarum promeritarum æternitatem; oblitus interim promissionum dulcissimarum, quas sæpius à Christo audierat, vel ad se eas minimè pertinere statuens, in desperationem incidit & ex desperatione laqueum arripuit. Origenes tractat. 35. in Matth. nugatur, *Judam voluisse animam nudâ Christo in inferno occurrere, ut veniam peccati*

*ab ipso peteret*, quam opinionem etiam Theophylactus amplectitur, cum tamen manifestè constet, ex inferno nullam esse redemptionem ac Judam fuisse absque spe veniæ.

Proponitur autem nobis in hoc Judæ interitu *i. Speculum in re divina*. In Petro apparuit exemplum summæ benignitatis ac misericordiæ Dei peccatores pœnitentes in gratiam iterum recipientis, sed ne quis hoc exemplo ad securitatem abutatur, ideò subjungitur exemplum severæ justitiæ Dei impœnitentes & securos horribiliter punientis. Scriptura passim testatur, passionem Christi esse sufficientissimum precium ac plenissimam satisfactionem, pro totius mundi peccatis, ne verò cogitemus, quia Christus pro peccatis satisfecit, ideò nobis impunè relictum esse legem Dei scienter transgredi, & in peccatis contra conscientiam securè perseverare, ideò in ipsa Historia passionis commemoratur horribile proditoris exitium, ex quo discamus, *voluntarie peccantibus post acceptam notitiam veritatis jam non relinquere pro peccatis hostiam, sed terribilem quandam expectationem judicii & zelum ignis consumentis*. Heb. 10, 26. & 27. Judas non erat vulgaris quidam discipulus, sed Apostolus Christi, qui non solum in schola Christi ultra triennium fuerat institutus, sed aliis etiam doctrinam Evangelii proposuerat, eandemque divinis miraculis confirmaverat, idem tamen ex peccato avaritiæ in securitatem, ex securitate in desperationem, ex desperatione in inferni barathrum miserè prolabitur. Conjungenda igitur sunt hæc exempla Petri & Judæ, ut ex illo divinam misericordiam, ex hoc verò divinam justitiam agnoscamus. Exemplum Judæ proponendum est veteri Adamo & corruptæ nostræ carni ad peccata nos perpetuò sollicitanti, ut eandem illo reprimere ac coercere possimus. Exemplum verò Petri proponendum est interiori homini, ne in vera conversione de gratia Dei dubitemus. Exemplum Judæ est *περὶ φυλακτικὸν securitatis*; exemplum verò Petri, desperationis. 2. *Speculum justitiæ divine*. Deus ut absque ulla *πενιτῶσιν* pœnitentes & in Christum credentes in gratiam recipit; ita quoque impœnitentes & securos itidem absque personarum respectu gravissimè punit. Ezech. 33. v. 12. *Justitia justi non liberabit eum, in quacumque die peccaverit, & impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua*. Judas sanctus erat munere Apostolatus cujus dignitas in conspectu Dei omnium Regum majestatem antecellit, sed hæc prærogativa in judicio Dei nequaquam ullâ ex parte ipsum sublevar, cum in peccatis securè perseverat. Elucet etiam justitia Dei ex ipso supplicii genere. Judas laqueum Christo posuerat & ad mortem ipsum tradiderat, nunc justo Dei judicio laqueum sibi metipso injicit & vitam suam nefariè abruptit. Plal. 35. v. 7. *Abconderunt mihi foveam retis sui sine causa v. 8. veniat illi laqueus quem ignorat & rete quod abscondit, apprehendat eum & in laqueum cadat*, hunc enim Psalmum de Christo intelligendum esse colligitur ex eò, quod Christus ipse Joh. 15. v. 25. versiculum decimum nonum hujus Psalmi suæ personæ accommodat. Judas latronibus & carnificibus Christum captivantibus sese Ducem præbuerat, nunc justo Dei judicio fit sui ipsius carnifex. Fictâ & hypocriticâ voce Christum salutaverat, nunc jugulum vocis viam laqueo sibi intercludit. Augustin. libr. quinquag. homiliarum

rum homil. 27. *Quod Judas fecit in corpore suo, hoc factum est in anima ipsius. Quomodo qui sibi collum ligant, inde se occidunt, quia non ad eos intrat Spiritus aeris hujus: sic illi qui desperant de indulgentia Dei, ipsa desperatione intus se suffocant, ut eos Spiritus sanctus visitare non possit.* Omnis avarus coram Dei judicio fur est ac raptor, jam verò furum supplicium proprium est strangulatio, proinde avarus Judas suspendio vitam finivit. *Dignam sibi panam traditor invenit* (verba sunt Bedæ in cap. 1. Actor.) *dum guttur, quo vox prodicionis exierat, laqueo necavit. Dignum etiam locum quaesivit, ut qui Angelorum & hominum Dominum prodiderat, celo & terra perosus, quasi aeris Spiritibus sociandus juxta exemplum Achitophel & Absolon in medio aeris periret. Digno etiam exitu mors ipsa successit, ut viscera, quæ prodicionem conceperant, rupta caderent & in auras evolverentur &c.* Id Arator lib. 10. Hist. Apost. sic expressit:

*Proditor amens*

*Mercedem sceleris solvit sibi, tædæ noxæ  
Horruit ipse sua, stringens in gutture vocem  
Exemplo cessante reum, qui parte necari  
Promeruit, quæ culpa fuit, crimineque retractans  
Judicio tali permisit membra furori,  
Aeris in medio communi ut poneret hosti  
Debita pæna locum, calum terramque perosus.  
Inter utrumque perit, nullis condenda sepulchris  
Viscera rupta cadunt &c.*

Bernh. ferm. 8. in Psal. 91. *Judas in aere crepuit medius aerearum Collega potestatum, ut potè quem veri Dei & hominis, qui de celo venisset operaturus salutem in medio terra, hujus inquam proditorem nec celum reciperet nec terra sustineret.* Chrysof. homil. 1. in fer. quint. pass. Dom. *Guttur prophanum, quòd hodie Christo: extendis ad osculum, crastino extensus es ad laqueum. Malo tuo didicisti argentum expendere, mox incipies & corpus proprium ponderare.* Multa profectò hic concurrunt prodigia, manifesta divinæ ultionis indicia. Nam si vel maximè quispiam suspendio animam intercludat, non tamen propterea crepat medius. Si vel maximè crepet medius, non tamen statim effundit viscera. Si vel maximè quædam viscera effundat, non tamen effundit omnia. Sed in Juda hæc omnia concurrunt, suspendit se, crepat medius, effundit omnia viscera, epar, ventriculum, renes, intestina &c hæc enim omnia viscerum nomine Medici complectuntur, quorum quædam artissimis ligamentis corpori sunt annexa, ut non nisi miraculo effundi potuerint. Syrus reddidit, *effusum est universum corpus ejus.* Potest autem hic interitus Judæ optimâ ratione conferri cum simili exitio Achitophelis 2. Reg. 17. v. 23. *Quemadmodum enim Achitophel à Rege suo Davide ad seditiosum Absolonem defecit: sic Judas relicto Christo Magistro suo ad rebelles Judæos sese contulit. Quemadmodum Achitophel suggestit Absoloni consilium, quomodo posset Davidem captivare: sic Judas consilium dedit Judæis, quomodo sine ullo tumultu periculo in horto Christum caperent. Quemadmodum Achitophel meruebat, ne David in regnum iterum evectus pessimè ipsum tractaret: ita quoque Judas meruit, ne à Christo post resurrectionem in cœleste regnum evectò gravissimè puniretur. Quemadmodum Achitophelis suspendium*

fuit quoddam præludium pœnæ Absoloni expectandæ: sic Judæ interitus Judæorum exitum portendit, pendent enim etiam illi inter cœlum & terram, cœlum non obtinent, in terra sedem non habent. Justo igitur Dei judicio factum, ut quos conjunxerat paritas flagitii, eosdem etiam conjungat paritas supplicii, uterque enim suspendio vitam finiens sceleratam animam sibi intercludit. 2. Paral. 55. v. 12. de Amasia Rege Judæ commemoratur, quòd decem mille Idumæos bello captos ad præruptum cujusdam petra ductos de summo in præceps præcipitaverit, qui universi crepuerint, ubi LXX. habent verbum *διεσπῆθη, vovē.* Hoc gravissimi supplicii genus sibi ipsi Judas h. I. irrogat post suspendium medius crepans & viscera sua effundens: De Ario hæretico commemorant Socrat. lib. 1. Hist. c. 25. Theodoret. lib. 1. c. 14. Sozom. lib. 2. c. 28. quòd secedens tanquam ad ventris onus in fellas quasdam deponendum pronus crepuerit medius ac viscera sua effuderit. Sic igitur justissimus Deus peccata contra Filium suum commissa utrobique gravissimè vindicavit, & honorem ejus hoc pacto asseruit. Inflatibilis Judæ venter dirumpitur, effunduntur viscera in terram, quam avaritiæ pondera petiverant, & quia Magistri sui paternas admonitiones respuit, ideo justo Dei judicio factum, ut sui ipsius carnifex fieret. 3. *Speculum divine potentie Christi.* Judas existimabat parum incommodi ex eo metuendum, si vel maximè innocentem Christum in manus hostium traderet, sed Christus coram Pilato stans captivus & ligatus ostendit se posse contumaciam Judæ & omnium persecutorum coercere ac gravissimam vindictam de illis sumere; proinde *non timeamus eos, qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt, sed potius illum timeamus, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Matth. 10. v. 28. 4. *Speculum deceptionis Diabolice.* *παραγῖα* Satanæ non solum apparet ex eo, quòd sollicitando nos ad peccatum, plura levius & aurâ tenuius illud facit, post admissum verò delictum gravitatem ejus valdè exaggerat. Chrysof. homil. 85. in Matth. ante med. *Talis est Diabolus, non permittit hominem, nisi vigilet, ante ultimum effectum magnitudinem peccati prævidere, ne penitentia ductus à peccato resiliat; sed cum primum etiam extentionem serie, neque enim in primo statim aggressu ad peccata graviora nos sollicitat, sed à levioribus incipiens ad atrociora progreditur. Sic propositum erat Satanæ, impellere Judam ad prodendum Christum & in desperationis foveam postea ipsum præcipitare, nequaquam verò in primo statim aggressu ad prodicionem Christi ipsi sollicitat, sed primò omnium illicitam divitiarum cupiditatem animo ipsius instillat, vel potius latentem in corde movet & auget, qui verò volunt fieri divites, incidunt in tentationem & laqueum & desideria multa inutilia & noxia, quæ mergunt homines, in interitum ac perditionem.* 1. Tim. 6. vers. 9. hujus cupiditati divitiarum debuisset Judas per Spiritum resistere, sed cum frena eidem laxat & securè indulget, prolabitur ex cupiditate divitiarum in avaritiam, quæ est omnium malorum radix. v. 10. *ex avaritia progreditur ad furtum, quia enim gestabat losculos, portans ea, quæ Christo & Apostolis conferebantur* Joh. 12. v. 6. ideo hac occasione abusus ex donariis illis furto quædam surripit, Admonitus pro-

pterea

pterea à Christo securè illud contemnit, ingerit se-  
se externæ Apostolorum societati, præbet pedes su-  
os lavandos, asidet mensæ, utitur Eucharistiæ Sa-  
cramento unâ cum reliquis discipulis, interim verò  
peccandi propositum in corde retinet, sic ergo ex  
avaritia in securitatem prolabitur, & quia ob furta  
minora sese divinitus puniri aut fulmine percuti  
nondum videt, idè de majoribus pecuniæ aucupi-  
is cogitat. Ubi eò rem perduxit Satanas, ad gravissi-  
ma scelera facili negotio ipsum postea impellit.  
Consultabant Pontifices de Christo captivando &  
interficiendo. Judas igitur cogitat hac occasione  
majorem quandam pecuniæ summam acquiri posse,  
Christum esse benevolam à misericordem, faci-  
lè igitur veniam delicti ab ipso impetrandam fore,  
ac quamvis Christus graviter ipsum præmoneat  
sub periculo æternæ damnationis, ut à pessimo  
suo proposito desistat, tamen cor ipsius induratur à  
Satanâ ut, paternas illas admonitiones planè negli-  
gat, sic igitur securitatem consequitur obstinatio,  
obstinationem Christi proditio Christi, proditio-  
nem desperatio, desperationem æterna damnatio.  
Vide omnino Chryostomum hom. 86. in Matth.  
circa finem, ubi aliquot exemplis ostendit, Diabolum  
à minimo incipere, ac neminem repente ad extremam im-  
probritatem proflire. Caveamus igitur peccati, præfer-  
tim avaritiæ laqueos, quos enim semel Diabolus il-  
lis irretivit, eos ex uno peccato in aliud captivos du-  
cit 2. Tim. 2. v. 26. donec in perditionem ac interitum  
eos immergat. 1. Tim. 6. v. 9. agnoscamus usque  
Satanæ Ephes. 4. v. 6. resistamus pravis carnis  
nostræ concupiscentiis, admonitionibus ex verbo  
nobis propositis demus locum, neque corda ad eas  
obturemus, vivamus in vero Dei timore, resistamus  
precibus ac fide tentationibus Satanæ, præoccupati  
quodam lapsu per penitentiam statim surgamus &  
recidivam summo studio caveamus, ne salutis no-  
stræ naufragium patiamur. 5. Speculum infrugifera &  
exitialis penitentia. Duplex in Scripturis peniten-  
tia nobis proponitur: alia vera & salutaris, qualis  
fuit Davidis, Petri, Iatronis in cruce, mulieris pec-  
catricis &c. qui non modò peccatis admisis serios  
dolores conceperunt, sed etiam verâ fide in Chri-  
stum sese iterum erexerunt & ex terroribus consci-  
entia liberati peccatorum remissionem per Chri-  
stum impetrarunt: altera est infrugifera & exitialis,  
quam Ambrosius vocat cassam penitentiam, qualis fuit  
Caini, Achitophelis, Saulis, Judæ, &c. qui dolores  
conscientiæ non superarunt fide, sed in peccatis suis  
desperarunt. Ostendimus autem suo loco ad veram  
& salutarem penitentiam requiri fidem in Chri-  
stum tanquam partem essentialem alteram, per  
quam vera & salutaris penitentia à falsa & exitiali  
unicè distinguitur. Judam non minus, fortè etiam  
magis penitebat suæ proditiois, quam Petrum  
suæ abnegationis, neque tamen Judæ penitentia  
erat salutaris, quia non erat conjuncta cum fide sal-  
vifica in Christum, quâ in angoribus sese erexisset.  
Fulgentius, pistol. 7 ad Venantiam in Hæresiolog p.  
125. Salubris conversio duplici ratione consistit, si nec peni-  
tentia sperantem, nec spes deserat penitentem, ac per hoc si  
ex toto corde quisquam renunciet peccato suo & corde ponat  
spem remissionis in Deo. Etenim nonnunquam aut spes peni-  
tenti homini Diabolus adimit, aut speranti peni-  
tentiam tollit &c. Judas peccati sui penitentiam  
gessit, sed salutem perdidit, quia indulgentiam non

speravit, dignè quidem penitentiam gessit, quia fateretur se  
peccasse tradendo sanguinem justum, sed idè sibi fru-  
ctum penitentia denegavit, quia peccatum traditionis  
sue, ipsum quem tradidit diluendum sanguine non spe-  
ravit. Disputant Pontificii tres esse partes peni-  
tentia, contritionem cordis, confessionem oris  
& satisfactionem operis, sed hæc partes omnes in-  
veniuntur in Judæ penitentia, quæ tamen non  
fuit fructuosa ac salutaris. Bellarm. quidem lib. de  
penit. c. 20. disputat. Judam nullam harum partium  
habuisse, sed quid respondendum sic illius cavillis,  
ostensum fuit tom. 3. Loc. comm. in tr. de penit. §.  
61. hac vice opponimus Bellarmino testimonium  
Franc. Lucæ Brugensis Pontificii Scriptoris, qui in  
cap. 27. Matth. sic commentatur, Efficax & lauda-  
bilis fuit penitentia Judæ, si modò cum spe venia & mise-  
ricordie fuisset conjuncta. Et postea: Si Judas à Prin-  
cipibus Sacerdotum rejectus confugisset ad Deum & co-  
ram eo prostratus veniam rogasset, sperassetque, conside-  
mus divina misericordie magnitudinem & oras-  
set, ut quod restituere in integrum ipse non valebat pro-  
ditum inquam Jesum à morte liberare, postquam  
fecisset id omne, quod ipsi possibile fuerat, Dominus  
Deus potens omnia facere id dignaretur, si consultum  
judicaret, & in oratione penitentiaque hujusmodi per-  
severasset, invenisset utique penitentia locum & gra-  
tiam apud eum qui dixerat, Vivo ego, nolo mortem pec-  
catoris. Multa vehementis, efficacis, adeoque præclara  
penitentia argumenta ediderat, restabat hoc solum, ut  
spem venia conciperet & amore offensi Dei ex fiducia  
nato, dolorem, quem summum patiebatur, informa-  
ret, verum ille nimia diffidentia laborans non confugit  
ad Dominum, nec offensum rogavit veniam, sic ani-  
mum deficiens in turpitudinem, magnitudinemque sce-  
leris sui, ut de misericordie magnitudine non consideraret.  
Hæc omnia Scriptor ille recentissimus. Cornel.  
Jansenius in Harmonia itidem concedit Judam,  
omnes tres partes penitentia attingisse, sed addit  
nihil horum ipsum rectè fecisse, siquidem confessionem  
& satisfactionem non fecerit illis, quibus erat facien-  
da, nimirum illis quibus dictum erat, quæcunque solve-  
retis super terram erant soluta, neque tristitiam cordis  
temperavit contemplatione divine misericordie. Prior  
exceptio non est magni momenti, siquidem  
contritio & confessio Judæ fuissent satis sufficien-  
tes; modò conjuncta illis fuisset vera & salvifica  
in CHRISTUM fides. Unicum igitur illud peni-  
tentia Judæ defuit, quòd tristitiam cordis non tem-  
peravit contemplatione divine misericordie, sed  
hæc misericordia non obtingit nobis nisi in Chri-  
sto & per Christum fide apprehensum, quo igitur  
colore fides in Christum à vera & salutaris peni-  
tentia excludi potest, cum ex illa fiducia remis-  
sionis, spes venia, amor Dei offensi, studium bo-  
næ conversationis &c. unicè efflorescant? Sub-  
jungamus etiam testimonium Johannis Feri, qui  
libr. 4. commentar. in Matth. cap. 27. sic scribit? Ju-  
dæ penitentia non fuit vera, quia peccatum quidam  
agnoscit, sed non sperat aut credit misericordiam,  
revelatur ei peccatum, sed non Evangelium. Veni-  
entia penitentia est, facere judicium & credere, Ju-  
diciam facere est se peccatorem agnoscere, pecca-  
ta sua damnare. Credere est considerare DEUM  
per CHRISTUM peccata non imputaturum. Hæc  
fides in misericordiam Dei per Christum necessaria  
est ad remissionem peccati. Dum enim homo co-  
gnoscit

noscit Christum verum esse Salvatorem, pignus justitiae, misericordiae fontem, omissa peccatorum immanitate ad Christum confugit &c. Cum quo consentit illud Johan. de la Haye. in triumph. verit. cap. 182. *Pœnitentia Judæ similis erat pœnitentiæ damnatorum, quia sine spe veniæ. In extrema enim necessitate de Deo non speravit, in quo plus quam Jesum tradendo peccavit, nihil aliud ei de fuit, non dolor, non confessio, non restitutio.* Unicum igitur hoc defuit pœnitentiæ Judæ, quò minus vera ac salutaris fuerit, quod angores conscientiæ non superavit fide in Christum, eam enim si in corde habuisset, nunquam ad laqueum confugisset *invisam sibi met. quarens abrumperè lucem*, siquidem suspendium processit ex desperatione, desperatio ex defectu veræ fidei in Christum, sine qua spes veniæ locum non habet. Per hanc fidem & spem veniæ in Christo & per Christum obtinendæ, nequaquam verò per nostram contritionem ac satisfactionem obtinetur peccati remissio. Si enim doloribus ac passionibus contritionis expiari possent peccata, utiq; contritio Judæ ad remissionem peccati fuisset efficax, de qua res ipsa testatur, quòd fuerit seria & magna. Sed cum fides sit donum Spiritus sancti, non autem opus naturalium virium, gravis oritur quæstio, unde factum sit, ut Petrus fide donatus fuerit, Judas verò minimè? Quidam periculosas movent disputationes, quòd peccatum Judæ immediatè contra Christum commissum fuerit tantum, ut remissionem illius non potuerit sperare vel obtinere. Sed docet fidei analogia, omnes omninò peccatores quantacunque & qualiacunque commiserint peccata, non simulatè sed seriò ad pœnitentiàm à Deo vocari, ac remissionem illis in verbo Evangelii offerri, modò in vera pœnitentià fide eam quærant: eadem fidei analogia docet, Christum pro omnibus omninò peccatis plenam & perfectam satisfactionem præstitisse, modò fide eadem acceptetur. Nequaquam igitur cogitandum, peccatum Judæ, quòd CHRISTUM tradidit, in se ac per se fuisse tantum, ut non potuerit remissionem ejus impetrare, quia Christus etiam pro crucifixoribus suis oravit. Sunt quidem gradus peccatorum à Petro & Juda commissorum. Petrus metu percussus Christum abnegavit, sed Judas ex destinata animi malicia propter lucellum aliquid in mortem illum tradidit, interim tamen nequaquam statuentium, Judæ peccatum fuisse majus divinâ misericordiâ, cujus Judas omninò particeps factus fuisset, si veram in Christum fidem concepisset, undè rectè dicunt pii veteres, *Judam plus peccasse desperando, quam Christum prodendo.* Quidam causam, cur Judas non fuerit in gratiam receptus ac fide donatus, quærunt in absoluto quodam reprobationis decreto, existimant enim Judam non potuisse fidem in corde concipere & remissionem peccati impetrare, quia æterno & absoluto Dei odio à salute fuerit exclusus & infernalibus flammis destinatus. Sed tales disputationes eò tandem abducunt, quòd pervenit Judas, ad laqueum scilicet desperationis. Vera igitur causa exitii & interitus Judæ in ipso quærenda est, non in decreto quodam reprobationis absoluto. Osæ 13. vers. 9. Judas cum horrendi hujus peccati prodicionis scilicet propositum animo concepisset, non patitur ullis admonitionibus sese ab eo dimoveri, pergit in securitate, ob-

stinazione & impœnitentià, iusto igitur Dei judicio deseritur & Satanæ traditur Johan. 13. vers. 27. à quo ex uno scelere in aliud, ac tandem in desperationis abyssum præcipitatur. Petrus verò per gallitantum & Christi intuitum patitur se admoneri de suo peccato. Judas post prodicionis peccatum non abijt ad Christum & Apostolos consolationem ex verbo quærens, sed confert se ad juratos Christi hostes, à quibus malam omninò absolutionem impetrat. Petrus verò abijt ad consortium Apostolorum, audit verbum Evangelii, per quod Spiritus S. ad fidem in ipsius corde est efficax, unde rectè scribit Ambrosius lib. 5. de pœnit. cap. 5. *Arbitror, quòd etiam Judas potuisset tantâ miseratione non excludi à veniâ, si pœnitentiàm non apud Judæos, sed apud Christum egisset.* Quòd si vel maximè obstrepere nostræ rationi in hac quæstione non possit plenè satisfacere, sedulo tamen caveamus, ne ad præcipitium absolute reprobationis nos abduci patiamur, *judicia enim Dei occulta esse possunt, injusta verò esse non possunt,* docente Augustino. 6. *Speculum male conscientie.* Peccatum in conscientia impiorum aliquandiu est *vepov Roman. 7. vers. 9.* sed per legem acculantem quasi reviviscit vers. 10. & intolerabiles ac inexplicabiles angores excitat, per quos Judas hoc loco ad desperationem adigitur. Sedulo igitur caveamus, ne conscientiam nostram vulneremus; quia in vulneribus conscientia nascuntur vermes æternum rodentes, Esajæ 66. vers. 24. nisi in hac vita per pœnitentiàm extinguantur. Quæcunque peccata libro conscientia inscribuntur, coram Dei judicio tandiu nos acculant ac damnant, donec per pœnitentiàm deleantur. 7. *Speculum pœnæ avaris expectanda.* Infatiabilis avaritiâ Judæ hunc tandem habet exitum, ut cum triginta argenteis, quos tantopere cupiverat & mediis illicitis acquisiverat, ipsam vitam ac viscera sua profunderet. Idem exitum avaros manet. Job. 20. vers. 15. *Opes quas deglutivit, evomet, de ventre ejus expeller eas Deus.* Illud contingit vel in hac vita, quando avari vel etiam posteri ipsorum divitiis male partis, quas tanquam viscera sua amant, privantur; vel in inferno, multi enim in hac vita avidè ingerunt, quod in inferno evomere cogentur. Chrysostom. homil. 85. in Matth. circa med. *Audite avari, versate animo, quid Judas fuerit passus. Nam & pecuniam amisit & scelus admisit & animam perdidit, hec atrox avaritiæ tyrannis facere solet. Non est argento, nec hac usus vitâ, non fruetur futurâ, universa simul amisit.* Quemadmodum avarus Judas inter cœlum ac terram pendet mediis, sic avari tandem inter cœlum & terram pendunt, quia terrena amittunt cœlestia non consequuntur. Quinimò speculum pœnæ non solum avaris, sed etiam emperactis, apostatis ac seditiosis metuendâ in exemplo Judæ avari, emperactæ, apostatæ ac seditiosæ proponitur. 8. *Speculum pœnæ Judæis irrogata.* Judas non peccaverat solus tradendo CHRISTUM, sed Pontifices & Seniores, totius Judaici populi capita, erant sceleris socii, proinde in Judæ interitu proponebatur ipsis typus pœnæ toti populo Judaico expectandæ. Petrus ad Judæ interitum accommodat vaticinium ex Psalm. 69. vers. 26. *Sit palatium eorum desertum & in tabernaculis eorum non sit habitans & ex Psalm. 109. v. 8. Erant dies ejus parvi & administrationem ejus accipiat alter.* Ergò

Ergo in Judæ exitio proposita fuit Judæis comminatio, quod omnia ab illis auferenda sint, quæ ex benignitate Dei acceperant, quod regio ipsorum futura sit deserta ac desolata, quod in ipsorum locum gentes sint assumendæ præ eminentiâ Judæorum, ad gentiles conversos translata, quod malè omnino perituri sint de terra &c. *9. Speculum pænæ damnatorum æternæ.* Quos conscientia angores in Juda intuemur, illi in gradu longè majore in omnibus damnatis conspiciuntur, *vermis eorum non morietur, ignis ipsorum non exstinguetur & erunt abominatio omni carni* Esaia 66. v. 24. *quærent mortem & non invenient eam, desiderabunt mori & mors fugiet ab illis* Apoc. 9. v. 6. *suspensum eliget anima ipsorum* Job. 7. v. 15. qualium angorum ac cruciatuum primitiâ quædam in Juda ac desperandis hominibus conspiciuntur, quos tamen æternitatis cogitatio modis plurimis majores & intensiores reddet, ut hac ratione vita damnatorum futura sit perpetua mors & continua desperatio; hæc mala qui pavet, cavet; qui negligit, incidit.

Hæc omnia circa interitum Judæ Pontifices & Seniores considerare debuissent, ut conceptam mortis sententiam tanquam notoriè iniquam mutarent, sed à Diabolo excæcati & obstinati nec horribili Judæ interitu nec aperto de Christi innocentia testimonio quicquam afficiuntur, magnam interim sanctitatis & pietatis speciem exterius simulant, quia triginta argenteos in templo relictos nolunt inferre thesauro sacro. *Non licet, inquit, nos mittere in corbonam, quia precium sanguinis est.* Primò quidem nolebant illos argenteos à Juda recipere, ne viderentur ad restitutionem Christi soluto venditionis contractu teneri, sed cum Judas morte sublatu esset, intrepidè eos recipiunt, quia non poterant amplius de restitutione Christi ab ipso compelli, ac quia Judas in templum illos projecerat, videbantur Deo oblatis, nolunt tamen eos inferre gazophylacio, putant enim illud non licere. Procul dubio respiciunt ad legem divinam Deut. 23. v. 18. ubi prohibetur inferri thesauro templi *merces prostitulæ & precium canis, eò quod utrumq; sit abominatio coram Deo.* Quia verò innocentis sanguinis effusio non minùs quam scortatio est abominatio coram Deo, inde colligunt generalem regulam, quod precium malè partum non sit inferendum gazophylacio. Prov. 21. v. 27. *Hosia impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere.* Ergo si statuerunt Christum esse innocentem ac propterea pecuniam proditori, qui mortem ejus procuraverat, datam, non deferendam esse in gazophylacium, eo ipso sese præter mentem criminis accusant, si enim Judæ non licuit precium illud sanguinis recipere, utiq; nec ipsis licuisset illud erogare. Si peccavit Judas vendendo, peccarunt etiam ipsi emendo. Sed videntur statuere, licet sanguis Christi tanquam blasphemi justè fuerit effusus, tamen precium sanguinis proditori datum non inferendum esse thesauro sacro, argumento fortassis eo, quod David propterea ab ædificando templo Domini prohibitus fuerit, quia multum sanguinem in bellis justis scilicet & legitimis effuderat 1. Paral. 22. v. 8. colligunt igitur hoc modo: David prohibitus fuit templum ædificare, quia fuit vir sanguinis. Ergo prohibitum etiam erit sanctis donariis hanc pecuniam conjungere, quia est precium sanguinis. Sed hac ratione iterum seipos acc-

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars quarta.

cusant & Sacerdotio indignos esse testantur. Si enim pecunia, qua sanguis noxius effundendus justè fuit emtus, non inferenda est thesauro templi, multò magis Sacerdotes, qui sanguinem illum noxium, justè licet, effuderant, arceri erunt à sacrificiis offerendis. Potest etiam cogitari, quod non tam ad legem Mosaicam, quam ad honestatem publicam respiciant, quando precium sanguinis gazophylacio inferre nolunt, quodque opinionem quandam sanctitatis hoc pacto apud plebem sibi conciliare voluerint. Corbona est vox Syro-Chaldaica קורבנא quam Græci & Latini inflexionibus variatam usurpant. Est autem propriè oblatio sive munus Deo dicatum, à קרב appropinquavit, in Piel appropinquare fecit, adduxit, obtulit, Marc. 7. v. 9. exponitur per *ἱερόσπον*. Postea μετανομιὰς usurpatur pro arario vel arca, in qua munera Deo oblata asservabantur. Syrus hoc loco vocat קורבנא בית דומם sive locum oblationis, Luc. 21. v. 4. *omnes ex abundantia miserunt eis rei dæge in munus Dei,* quod Marc. 12. v. 41. dicitur *εἰς τὸ γαζοφυλάκιον* in gazophylacium, nos vocare possemus ararium templi. Ut Græcus hoc loco retinuit vocem Syriacam *κορβοναί*, ita Syrus Marc. 12. v. 41. retinuit vocem gazam, vocavit enim קורבנא quam Persicam arbitrantur. Joseph. lib. 2. de bello Jud. cap. 8. *Est apud eos sacer thesaurus, quem Corban dicunt, hunc ad inductionem aquarum cum impendi jussisset Pilatus, populus tumultum excitavit, noluerunt enim pecuniam sacram ad profanos usus conferrî* Johan. 8. v. 20. Christus dicitur docuisse in gazophylacio hoc est, in illa parte templi in qua erat gazophylacium, videlicet in atrio populi, in eo enim ad partem orientalem constituta fuit arca, in quam populus conferebat sua donaria. Ex hac arca procul dubio Pontifices acceperant pecuniam proditori datam. Quia enim Jesum habebant pro legis & templi adversario, ideo sumtus ad proditionem Christi impensos ex publico fecerunt, jam verò pecuniam illam denuò in ararium sacrum inferre illicitum censent; in quo denuò exemplum detestandæ hypocriseos proponitur. Si licuit ex corbona precium sanguinis accipere, cur non licuit denuò illud corbonæ inferre? Et qualis quæso hæc est innocentia simulatio, precium sanguinis non mittere in arcam & reatum sanguinis injustè effusi recipere in conscientiam? pecuniam proditori datam verentur thesauro sacro immittere, nolunt interim fundendi sanguinis innocentis propositum dimittere. Metuunt, ne ararium ac reliqua dona hoc proditionis precio contaminentur, interim non cogitant mentes suas proposito sanguinem innocentem effundendi & consiliis sanguinariis horribiliter esse contaminatam. Solliciti sunt de funerandis mortuis, interea de Christo è vivis auferendo consilia tractant. Solliciti sunt de peregrinis, interim Dominum suum ac Messiam è medio tollunt. Utinam verò similis hypocrisis non vigeret in quibusdam, qui ornant statuas sanctorum demortuorum, interim autem vivos sanctos occidunt; qui sedulo cavent, ne templa exteriora polluantur ac mentes interim pollutas gerunt; Rectè tamen statuunt Pontifices hoc loco, non offerendum esse Deo precium sanguinis vel aliam quamvis pecuniam male partam. Quæ Deo offerre volumus, ita comparata esse debent, ut ipsi placere

M

cere

cere possint, non autem placere Deo possunt, quæ malis artibus sunt quæsitæ. Eccles. 34. v. 21. *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata & non sunt beneplacite sublannationes iustorum.* v. 23. *Dona iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum.* v. 24. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, est quasi qui victimat filium in conspectu Patris sui.* Chrysostom. homil. 57. in Matth. *Quenam est multorum excusatio? sceleratus sum, ajunt, sed pauperi obtuli. Bona verba queso, talia sacrificia Deus non accipit. Noli cavillari legem, multò melius est non dare pauperi, quam hoc modo dare. Quod enim iustis laboribus collectum argentum est, propter hos iniquos factus plerunque contaminas, quasi quis secundum cogat uterum Scorpiones parere.* Quid verò tandem de precio illo sanguinis faciunt Pontifices? consilio iniro emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Sicut ante re in publico confesso deliberatâ pecuniam ex gazophylaciò acceptam proditori dederant, sic denuò consilium ineunt, quomodo hæc pecunia à proditore relata sit rectè collocanda. Emunt igitur eâ agrum figuli ad sepulturam peregrinorum, quo respicit Petrus Act. 1. v. 18. de Juda dicens, quòd emerit sive acquisierit agrum de mercede iniquitatis. h. e. quòd ex iniquo proditoris precio emtus sit ager. *Ξενοι* propriè sunt hospites qui in alieno loco versantur, quorum complures erant Hierosolymis, quippe in Judæa metropoli & totius orbis umbilico, horum aliquos extra patriam suam ibidem mori contingebat, qui cum propria sepulchra ibi non haberent, voluerunt illis emtione hujus agri de loco sepulturæ prospicere. Sunt qui per hos *Ξενοι* sive hospites intelligunt natione & religione Ethnicos, quorum complures cum Præsidibus Romanis, postquam Judæa in formam provinciæ redacta esset, eò venerunt, cum quibus Judæi noluerint sepulturæ locum habere communem, ac verisimile sit, profelytos sive conversos ex gentibus, qui religionis & sacrificiorum causâ Hierosolymam magno numero veniebant, pro fratribus à Judæis fuisse habitos atque in publica sua polyandria haud gravatim ab ipsis admissos vel certè de loco sepulturæ jam ante ipsis fuisse prospectum. Sed probabilius est per hospites illos accipere profelytos, hoc est, eos qui natione & origine quidem Ethnici erant, interim tamen ad verum Deum Israelis conversi Hierosolymam frequentabant propter templum & sacrificia in eo offerenda. Notum enim est, quantopere superbiat gens Judaica nativitatibus suæ origine, inde factum, ut profelytos agrè admitterent in sua sepulchra, præsertim tenuioris fortunæ hospites, qui non poterant proprium aliquid sepulchrum more apud Judæos recepto sibi comparare. De horum igitur sepulchreto solliciti sunt, sed de Ethnorum sepulchris ipsos magnopere sollicitos fuisse non est verisimile, cum non potuerint illos, utpote præfidi Romano addictos cogere, ut in eum, quò ipsi vellent, locum mortuos suos defoderent. Subjecti erant potestati Romanorum, quos pro suo libitu atque arbitrio sepulchretum elegisse gentilibus demortuis, probabiliter censetur. Emunt autem ad sepulturam peregrinorum *τον αγρον & κεραιμειως* illum agrum illius figuli, ostendit enim repetitio articuli, quòd ager ille tunc temporis fuerit celebris & fortè jam venim expositus à figulo paupertate presso, ut æs alienum.

dissolveret. Dicitur enim *ager figuli*, vel quia possessor ejus erat figulus, vel quia hic ager ad figulinam exercendam fuerit aptus, subministrans scilicet argillam & lutum idoneum ad vasa fictilia. Quodam statuunt hunc agrum figuli templo fuisse propinquum, ac proinde in ipsa civitate situm. Cogitant enim prope templum habitasse quendam figulum, qui vasa fictilia in sacrificiis usurpata formavit, illum circa domum habuisse agrum sive locum quendam, in quem projecerit testas vasorum fictilium, unde ager ille factus fuerit infœcundus ac sterilis, ac proinde exili illo proditoris precio ad sepulturam peregrinorum fuisse emtum. Emerant enim eum tanquam locum sepulturæ publicum in æternam possessionem, non autem usq; ad annum jubilæi, in quo agri & reliquæ possessiones venditæ ad pristinum dominum lege divina redibant, siquidem ager peregrinorum sepulturæ semel deputatus, non poterat deinde aliis usibus applicari. Sed constat Judæos extra urbem sua sepulchra habuisse, unde in libro præceptorum part. 3. fol. 206. dicitur, quòd sepulchretum fuerit situm extra terminum urbis, quia Judæi non sepelierunt mortuos suos intra terminum urbium suarum, ideò non est probabile, cum ditiores & ipsi cives Hierosolymitani extra urbem sepulchra sua habuerint, quòd pauperes hospites in ipsa urbe sepelierint. Extra urbem igitur fuit situs ille ager, sicut & Hieronymus in lib. de locis Hebraicis testatur, adhuc sua ætate locum illum Hierosolymis extitisse ad latus Australe montis Sion, ubi tum quoque pauperum ac tenuinum cadavera parim sub dio putrescebant. Brocardus terræ sanctæ perlustrator scribit *ager illum juxta piscinam superiorem & natatoriam Siloab fuisse situm.* Videbantur sibi in hoc consilio Pontifices pulchrè sapere. Sepultura enim res quidem necessaria, interim tamen apud Judæos immunda, quippe qui contactu mortui contaminabantur, statuunt igitur pecunia hac immunda locum inferviturum rei per se piæ & necessariæ, immundæ tamen, rectissimè comparari. Erat hæc pecunia precium sanguinis, statuunt igitur in mortuos eam rectissimè expendi. Orig. in h. l. *Videbant, quoniam circa mortuos magis eam pecuniam conveniebat expendi & circa locum mortuorum & sepulture, quoniam precium sanguinis erat.* Voluerunt insuper hac emtione agri æternam ignominiam Christo parare, fuit enim hic ager situs ad latus Australe, ubi erat vallis Josaphat, in quam omnia immunda & anathemata projiciebantur, sed factum est mirabili Deo consilio, ut in propriam ipsorum ignominiam emtio illa cesserit, vocatus est enim ager ille *אגר דמא* *ager sanguinis* idiotismo Chaldaico & Syriaco Judæis tunc temporis usitato usque in hodiernum diem, quo scilicet Evangelistæ hanc Historiam annotarunt. Vocatus autem sic est non à Pontificibus, sed à vulgo, postquam scilicet publicè innotuisset, agrum illum precio sanguinis proditori dato comparatum esse. Sic ergo ager ille fuit perpetuum memoriale furoris & impietatis, qua in sanguinem innoxium saevierant. Chrysostom. homil. 86. in Matth. *Nomen loci dicitur omni clarius turbâ sceleratam eorum prædicat cedere.* Si enim in corbonam pecuniam immisissent, non ita manifesta res facta fuisset, nunc verò prædicto emto etiam posteris rem universam prodiderunt. Ita enim fieri consuevit, ut quò magis flagitia sua



tia sua pietatis prae-textu tegere conentur impii, eo magis divinitus ea manifestentur. Sperabant Pontifices honesto sepulturae prae-textu sepultum simul iri crimen homicidii, sed mirabilis Dei providentia in contrarium planè eventum illud convertit, ut ager ille fuerit aeternum proditoris & sanguinis innocentem effusi monumentum. *Vox מורטתו* non extat in Græco textu Matthæi, habetur autem in versione Latina & Act. 1. v. 19. usurpatur à Petro in concione de interitu Judæ proditoris, ac monemur eà, sepulchra nostra Christi sanguine esse sanctificata, expurgata & lustrata, ut alià lustratione neutiquam indigeant. Quòd enim ager figuli emittit de precio Domini in sepulturam peregrinorum, in eo veteres agnoscunt hoc mysterium, quòd morte & effusione sanguinis sui Christus mercatus fuerit permanentem quietis omnibus illis qui spiritualiter cum ipso peregrinantur & conspeliuntur ei per Baptismum Rom. 6 v. 4. Nos gentiles ratione originis & incolatus nostri lumus coram Deo *advena* & peregrini Pf. 39. v. 13. 1. Pet. 2. v. 11. *alienari à conversatione Israel & hospites testamentorum promissionis* Eph. 2. v. 12. proijcendi igitur eramus in gehennam, cuius typus fuit vallis Josaphat, in qua sepeliebantur peregrini. Christus vero sustinuit propter nos ignominiosè vendi & sanguinem suum effundi, ut mercaretur nobis locum quietis in agro figuli coelestis, notum enim est ex Scriptura, Deum sæpius conferri figulo propter opus creationis & authenticum dominium in genus humanum. Esa. 29. v. 16. c. 45. v. 9. Jerem. 18. v. 6. Thren. 4. v. 2. Rom. 9. v. 21. in agro illo Dominico, (hac enim appellatione honorantur sepulchra in lingua Germanica, quæ Hebræis dicuntur בית המנוחה *domus viventium*, in lingua Græca κοιμηθηρια dormitoria) in hoc inquam agro Dominico per Christi sanguinem nobis emto pacatè requiescere possumus usque ad diem iudicii, in quo corpora nostra revirescent *inftar gramini* Esa. 66. v. 14. ac velut grana tritici prius mortua iterum ex pulvere terræ prodibunt Johan. 12. vers. 24. & in horrea coelestia colligentur Matth. 3. vers. 12. Abrahamus Pater omnium credentium Rom. 4. vers. 16. peregrinus erat in terra Canaan ac hereditarium duntaxat sepulchrum in ea habebat Genes. 3. vers. 20. nos itidem in hac vita peregrini lumus, unicum ergo desiderium nostrum esse debet, ut in agro Domini quietè ac placidè quiescentes ad vitam æternam olim excitemur, id quod futurum erit, si verà fide in Christum propter peccata nostra venditum, afflictum ac mortuum obdormiscamus. Quòd precium illud sanguinis Christi non cessit in usum templi Hierosolymitani vel Levitici Sacerdotii, sed in usum peregrinorum ex gentilitate conversorum, eo significatum fuit, sanguinem Christi & sanctissimum ipsius meritum potissimum gentibus profuturum rejectis Judæis, propter suam incredulitatem. Hilarius can. 32. in Matthæum eodem ferè modo hanc emtionem agri tractat: *Magnum* (inquit) *in hoc Prophetia Sacramentum & in factis & in dicitis miraculi plena meditatio. Figuli opus est deluto vasa formare* *cujus in manu sit ex luto eodem vas aut idipsum aut pulchrius reformare, agrum autem seculum nuncupari* *ipsis Domini nostri verbia continetur. Christi ergo precio seculum emittitur, hoc est, universitas ejus acquiritur & in se-*

*Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contr. pars quarta.*

pulturam peregrinorum atque inopum deputatur nihil hinc pertinet ad Israel & totus hic seculi emti usus alienus est, his videlicet, qui in precio sanguinis Christi sepelientur, quo universa sunt emta. Omnia enim à Patre accepit, quæ in cælis & quæ in terra sunt, & ideo hic ager figuli est, quia Dei omnia sunt, cuius in manu sit, nos ut velit tanquam figulus reformare. In hoc igitur agro Christo commortui & conspulti hujus peregrinationis nostræ aeternam requiem sortiemur. Augustin. ferm. 114. de temp. *Figulus Christus est, ager Christi Ecclesia, acquisitio peregrinorum populus gentium. Superest carissimi, ut agri hujus quotidiani atque perpetui studeamus esse cultores, Seminemus in eo frugem bonæ conscientia, ut cum tempus messis, hoc est, consummationis & dies reddende rationis advenerit, cum securitate & exultatione bonorum operum manipulos reportemus. Vide eisdem ferm. 128. de temp. ubi latissimè hanc allegoriam prosequitur. Tandem remittit nos Evangelista ad vaticinii Prophetici de hac emtione jam pridem editi considerationem. Solent enim Evangelistæ & Apostoli ex V. T. adducere vaticinia, ut Harmoniam V. & N. T. ostendant ac in fide nos confirmant. Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos precium æstimati, quem æstimatum emerunt à filiis Israel & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. Quia verò hoc vaticinium non extat in Jeremia, sed Zacharia cap. 11. vers. 13. ideo variæ quasitæ sunt explicationes, cur pro nomine Zachariæ positum sit nomen Jeremiæ. 1. Quidam statuunt, Evangelistam memoriæ quodam lapsu pro Zacharia posuisse Jeremiam. In hanc sententiam inclinat Erasmus in annotat. h. l. *Si fuisset, inquit, in nomine duntaxat memoriâ lapsus Evangelista, non opinor quæquam adeò morosum esse oportere, ut ob eam causam totius Scripturæ labasceret autoritas. Sed cum Evangelistæ in contenda Historia sacra fuerint Spiritus Sancti amanuenses, qui locuti sunt & scriperunt impulsæ à Spiritu Sancto 2. Pet. 1. vers. 21. ideo talem quandam errorem Evangelistis tribuere in ipsum Spiritum Sanctum foret injurium. Augustinus igitur rectè statuit, ab Evangelistis decere omnem falsitatem abesse, non solum eam, quæ mentiendo promittitur, sed etiam quæ obliviscendo. Admisso enim in tantum autoritatis fastigium aliquo mendacio, nulla particula horum librorum manebit, quæ non possit in dubium revocari Epist. 8. 2. Quidam existimant absolutè & indefinitè legendum esse, tunc impletum est, quod dictum fuit per Prophetam nulla facta specialis cujusdam Prophetæ mentione, nomen Jeremiæ ab indocto quodam Scriba additum & textui insertum esse. Hæc sententia confirmari posset ex eo, quòd Matthæo in more positum sit, Scripturas V. T. hoc modo allegare, ut Prophetæ nomen in specie haudquaquam exprimat, sed in genere tantum moneat extare de hac re vaticinium Propheticum cap. 1. v. 22. cap. 2. vers. 6, 15. 23. cap. 13. vers. 35. cap. 21. vers. 4. cap. 27. vers. 35. Suffragatur etiam versio Syriaca, quæ nullum Prophetam hic nominat, sed in genere loquitur. Tunc impletum fuit id quod dictum fuerat per manum Prophetæ. Augustinus quoque lib. 3. de conf. Evang. cap. 7. testatur, suo tempore à quibusdam Latinis Codicibus no-**

M 2.

bus no-

bus nomen Jeremiae abfuisse, ac Lyranus annotat in libris antiquis illud haudquaquam legi. Proferitur etiam haec conjectura, quod Jeremiae potius quam Zachariae nomen insertum fuerit, quia Jer. 32. apud LXX. Interpretes (quorum versio olim erat in vulgari Ecclesiae usu & ab Apostolis in N.T. plerumque allegatur) extet diserta Historia de agro, quem Jeremias jussu Dei emerit a suo patruale, sed Zachariae Historia, prout legitur in versione septuaginta Interpretum ab allegato Evangelistae testimonio plurimum discrepet. Sed Graeci Codices omnes legunt additum Jeremiae nomen, ideo dubium esse nequit ab Evangelista, illud insertum esse, nec discrepat hoc à more Evangelistae, qui pluribus in locis speciatim nomen illius Prophetæ exprimit, ad cujus vaticinium nos remittit, ut pote cap. 3. v. 3. cap. 4. v. 14. cap. 8. v. 17. cap. 12. v. 17. 3. Quidam ergo statuunt vaticinium illud de emto agro ex precio proditionis in Jeremia olim editum, sed malitia Judæorum verba illa ex textu Prophetico esse sublata. In hac sententiam inclinat Eusebius lib. 10. demonstrat. Evangel. cap. 5. Justinus etiam in Dial. cum Tryphone Judæo aliquot loca V.T. recenset, quæ à Judæis fuerint expuncta & corrupta. Sed hæc solutio est admodum violenta & librorum Canonicorum V.T. autoritatem non mediocriter labefactat. Extant in Scriptura V.T. plura & clariora contra Judæos testimonia, cur igitur illis relictis hoc duntaxat expunxissent? Proinde dictum Hieronymi in cap. 6. Esā. accuratè hac de re notandum: *Si quis dixerit, Hebræos libros esse à Judæis falsatos, audias Origenem, quid in octavo volumine explanationum Esaiæ huic respondeat questiuncule, quod nunquam Dominus & Apostoli, qui cetera crimina arguunt in Scribis & Phariseis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuisissent: sin autem dixerint post adventum Domini & predicationem Apostolorum libros Hebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, quod Salvator & Evangelistæ & Apostoli ita testimonia protulerint, ut Judæi postea falsaturi evant.* 4. Quidam ergo ab eò abeunt, ut dicant errore quodam Scribæ nomen Jeremiae positum esse pro Zacharia. Hanc sententiam itidem attingit Euseb. l. d. f. 299. *ἐνθα καὶ ἐπισήσας (inquit) ἐπεὶ μὴ ταῦτα φέρεται ἐν τῇ Ἱερεμίας προφητεῖα, εἴτε ἡ ἐπισημασμένη τῶν ἐξ αὐτῆς ἢ τινὰ ραδιουργίαν, ἢ καὶ σφάλμα γραφικὸν γεγενῆσθαι τῶν ἀμελέστερον ἢ τῶν ἱερῶν εὐαγγελίων ἀντιγραφεῖα ἀποποιημένων, σφαλῆναι τῶν καὶ ἀντι μὲν & Ζαχαρίας τὸν Ἱερεμίου τελεῖται, ὡς δεόντως ἀναγεγραφεῖται. τότε ἐπισημασθῆναι τὸν Ζαχαρίας & προφήτην.* Ubi insistendo attendes, non enim perhibentur ista in Prophetia Jeremiae, sive suspicandum est ex emta inde esse aliquo maleficio sive Scribarum errore accidisse, qui negligentius exemplaria sacrorum Evangeliorum conficerent decepto aliquo & pro Zacharia ponente Jeremiam, ut sic perscribi ista oportuerit. Tunc impletum est, quod dictum fuit per Zachariam Prophetam. Accedit, quod in Graecis abbreviaturis pro Ζε̄ facillè legi potuerit ἱε̄, hoc est, nomen Jeremiae pro Zachariae. Sed cum nullus proferatur Codex Graecus, qui habeat nomen Zachariae, sed omnes Codices constanter legant nomen Jeremiae, cumq; in ipsis fontibus corruptio non nisi urgentissimis ex causis concedenda sit, ideo etiam hæc solutio non est satis concinnâ, Augustin. lib. 11. contra Faustum Manich. cap. 2.

*Quæ autoritas literarum aperiri, quis sacer liber evolvi, quod documentum cujuslibet Scripturæ ad convincendos errores exeri potest, si hæc vox admittitur, Scripturas esse corruptas.* 5. Quidam disputant ex Apocrypho quodam libro Jeremiae hoc vaticinium ab Evangelista allegari. Hujus sententiæ autor est Hieronymus qui in cap. 27. Matth. sic commentatur: *Legi nuper in Hebræo quodam volumine, quod Nazarae scilicet mihi Hebræus obtulit, Jeremie apocryphum, in quo hæc ad verba scripta reperi.* Eandem sequuntur Origenes & Euthymius in h.l. Sed ex apocryphis addito expresso Prophetæ nomine ab Evangelistis & Apostolis in N.T. quædam citari periculose afferitur. Sanè in admonitionibus, exhortationibus ac redargutionibus non solum ex apocryphis, sed etiam ex Ethnicorum libris quædam allegant, sed hoc dictum allegatur ut vaticinium Propheticum de re futura, unde ipse Hieronymus hanc sententiam non videtur admodum probare, sic enim scribit loco dicto: *Sed tamen mihi videtur magis de Zacharia sumtum testimonium Evangelistarum & Apostolorum more vulgato, qui verborum ordine prætermisso sensus tantum de V.T. proferunt in exemplum.* Et in Epist. ad Pammach. *Ab sit de pedes quo Christi dicere, quod errarit, cui cura fuit non verba & syllabas aucupari, sed sententias dogmatum ponere.* 6. Quidam statuunt hoc Jeremiae vaticinium per traditionem quandam non scriptam ad Judæos pervenisse. Huic sententiæ calculum præbet Chrysof. in Epist. ad Timotheum. scribens, quod Judæi quædam habuerint, quæ citra librorum monumenta per manus tradebant vivâ voce, ea vocabant ἀρχαῖα sive traditiones, fieri autem posse, ut hujusmodi loca ab illis hausta sint. Addit etiam fieri potuisse, ut licet hæc scripta non fuerint, nec ab aliis audierint, tamen afflatu Spiritus Sancti Apostoli didicerint. Sanè Judæi multas habuerunt traditiones, quarum cabala plurimum omnino tribuerunt, sed ab Evangelistis & Apostolis dubiis hîcæ & incertis traditionibus divinam & Propheticam autoritatem fuisse tributam probatu difficile erit. 7. Quidam præsupponunt Zachariam fuisse δῶνον sive binominem, constat enim ex V.T. apud Judæos hoc fuisse perquam frequens, sicut etiam de Zacharia Barachia filio creditur, quod idem dictus fuerit Jojadas Matth. 23. v. 34. Quò referri posset, quod utriusque nominis eadem fermè sit significatio. Jeremias enim est qui exultat Deum, Zacharias qui commemorat vel celebrat Deum. Sed hæc sententia nititur incerto fundamento, cum nullo teste probari possit Zachariam Prophetam cognominatum esse Jeremiam, 8. Quidam in ipso Jeremia vestigia hujus vaticinii quarunt. Nam Jerem. 32. vers. 7. & seqq. commemoratur, quomodo Jeremias mandato Domini agrum emerit ac librum emtionis in vase fictili posuerit, id quod similitudinem aliquam cum vaticinio ab Evangelista citato videtur habere. Cogitari igitur posset Evangelistam duo vaticinia ex Jeremia & Zacharia conjungere, apud Jeremiam enim habetur Prophetia de emtione agri, apud Zachariam exprimitur emtionis precium, quæ duo Evangelista conjungit & sub unius Prophetæ nomine allegat. Sed emtio illa agri apud Jeremiam facta est septem siclis & decem argenteis, ac longè alium finem sibi habuit propositum.

quia

quia divinitus jubetur Propheta agrum emere, cum Rex Babylonicus arctè oblideret urbem, ad consolationem piorum Israelitarum, significabatur enim hac emtione, reducendos aliquando Israelitas ex Babylonica captivitate in urbem. 9. Simplicissimè igitur respondetur, Evangelistam consultò ac datà operà hac nominum Prophetarum permutatione fuisse usum, ut ostenderet, uno eodemque Spiritu Prophetas impulsos fuisse, ac in Prophetis vaticiniis non tam instrumentalem quàm principalem causam, hoc est, Spiritum Sanctum, à quo edita sunt, respiciendam esse. *Secreto Dei consilio factum est, inquit Glossa ordin. ut animo Matthæi pro Zacharia occurreret Jeremias, quia omnes Prophetæ uno Spiritu sunt locuti, ita ut singula sint omnium & omnia singulorum.* Quare ergo Matthæus hoc emendaret, quod Spiritu regente fecerat, ut per hoc admoneremur, tantam inter Prophetas esse concordiam, & uni congruè deputetur, quod ab alio dicitur? Desumta verò est hæc Glossa ordinariæ explicatio ex Augustino lib. 3. de cons. Evang. c. 7. & præbet utilem observationem contra Jesuitas, qui Scripturam imperfectionis accusant & necessitatem traditionum ex eo probant, quod ex ipsis Scripturis constare nequeat, quis cujusque libri Canonici sit autor. Quasi verò pleriq; libri non habeant nomen auctoris ascriptum, ac quasi magni inter sit secundarium & intermedium autorem scire, cum de primario & principali auctore Spiritu scilicet Sancto constet. Pulchrè Gregorius in præfat. Jobi cap. 1. Quis hæc scripserit, valde super vacaneè quaritur, cum tamen autor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit. Si magni cujusdam viri susceptis Epistolis legeremus verba, eaque quo calamo essent scripta, quareremus, ridiculum profecto esset, si non Epistolarum autorem scire, sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerant, indagare studeremus. Porrò ipsum vaticinium Zachariæ, quod Evangelista hoc loco allegat, in textu Hebræo ad verbum sic habet. *Et dixi ad eos, Si bonum est in oculis vestris, afferite mercedem meam; & si non, cessate. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me, projice illos ad fictorem sive figulum, ( in Hebræo est גַּלְגַּלִּים proprie & primâ origine dicitur, qui ex argilla vel luto vasa fictilia format, postea in genere usurpatur pro eo, qui format & arte effingit aliquid magnificum precium, quo appreciatus sum ab illis. Et tili triginta argenteos & projecisti illos in domum Domini ad figulum. LXX. sic reddiderunt: και ερω προς αυτους ει καλον ενωπιον υμων εστι, οστε τον μιδρον μου, η απειπαθη, και εσησαν τον μιδρον μου τριακοντα αργυρους, και ειπε κυριος προς με, και δεξασαις εις τον χωνευτηλον in consistorium. ( Aquil. προς τον πλαστην ex Hebr. ) η σκευη (al.) σκευομαι) ει δοκιμων εστιν, ον τροπον εδοκιμασθη υπερ αυτων, και ελαβοντες τριακοντα αργυρους η ενεβαλοι εις τον οικον κυριου εις τον χωνευτηλον. Evangelista illud expressit his verbis: και ελαβον τα τριακοντα αργυρια των τιμιων & τιμημενων, ον επιμησαντο δοτω των Ισραηλ, η εδωκαν αυτα εις τον αθρον & κεραμειωσ καδα συνεταξε μοι κυριος. Hæc videntur aliquantulum discrepare, sed si observetur regula, quam sæpe repetit Hieronymus, quod Evangelistæ in allegatione vaticiniorum Prophetarum magis respiciant res & sensum, quàm verba & syllabas, facile apparebit, nullam occurrere diverſitatem ac discrepantiam. Calvinus more con-*

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars quarta,

sueto egregii hujus vaticinii nervum incidit & genuinam ejus sententiam pervertit. Triginta argenteos symbolicè interpretatur de mercede hypocritica, quâ populus voluerit beneficia Dei compensare, per hanc hypocritam mercedem intelligendas esse dicit Ceremonias externas, sacrificia & reliqua hujus generis externa obsequia. Fingit etiam triginta argenteos ad figulum projici debuisse, ut is emat inde lateres vel tegulas ad reficiendum templum. Cum verò negare nequeat, hoc vaticinium ab Evangelista ad precium prodicionis, quo Christus venditus est atque emtionem agri figulini disertè referri, subjungit. *Congruere illud vaticinium Prophetæ cum allegatione Evangelistæ, quatenus Deus in Christi persona voluerit exhibere visibile specimen ac symbolum ejus, quo Prophetæ figuratè sub lege factum esse docuerit.* Atqui allegatio Evangelistæ ostendit in sensu literali ac proprio vaticinium Prophetarum intelligendum esse, cum completum illud dicat in venditione Christi triginta argenteis facta & emtione agri figulini. Unde igitur probat Calvinus per triginta argenteos symbolicè intelligendum esse cultum religionis externum? & quomodo sibi constat triginta illos argenteos datos esse figulo ad emendas tegulas & instaurandas templi ruinas, cum figuratè illos argenteos accipiendos esse prius scripserit? nec figuli solent lateres emere, sed ipsimet eos conficere, ideò non convenit hæc interpretatio, si de laterario nomen figuli accipiat: sin verò de figulo ollas & amphoras formante Calvinus hoc nomen accipit, multò magis se implicabit, cur enim figulus ad laterarium ablegaretur, ut ad reficiendas templi ruinas lateres emeret? Judaica proinde derorsio ac perversio judicanda est hæc Prophetici vaticinii explicatio, quæ nec cum verbis Zachariæ, nec cum allegatione Evangelistæ, nec secum ipsa congruit. Vide D. Hunn. in Antipar. altero tom. 2. oper. Latin. col. 997. Ostendit autem scopus, contextus & singula verba vaticinium Prophetarum propriè & in sensu literali de Christo agere. Postquam enim in præcedentibus pastoralis officium Christi fuit descriptum & signa pastoralia expressa, videl. duæ virgæ seu duo baculi, per quos duæ principales verbi partes, Lex & Evangelium intelliguntur, postquam etiam exposita fuerunt pœnæ, quibus αρχιποιμην cœlestis ingratitudinem populi Judaici visitavit, subjungitur descriptio mercedis, quæ pastori Christo à Judæis fuit numerata, venditio scilicet pro vili precio triginta argenteorum, qui postea figulo dati sunt, de quibus omnibus more Prophetico in præterito Zachariæ loquitur propter summam certitudinem, nec tam Prophetæ quàm Evangelistæ partibus in hoc vaticinio fungi videtur. Totum vaticinium in forma dialogismi proponitur, sicut Esa. 63. & alibi in Prophetis hoc est usitatum. Cum enim renunciaſset Christus in præcedentibus officio suo pastorali, jam velut abiturus à Judæis mercedem flagitat & cum ipsis exostulat, *Et dixi ad eos. LXX. reddiderunt in futuro, dicam ad eos, ut ostenderent non descriptionem rei præteritæ vel præsentis, sed Prophetiam rei futuræ hic proponi. Si bonum est in oculis vestris afferite mercedem meam, & si non, cessate, q. d. strenue hætenus in officio pastorali laboravi, sed incaſum, numerate igitur mihi debitam laboris mercedem, si æquum & justum.*

M 3

justum hoc judicatis, sin verò minùs, parùm illud curo, ingratitude enim illam reliquis injuriis deputabo. Additur deinde quid fecerint Judæi: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos*, quo ipso prædicitur, fidelem illum pastorem Christum omnibus laboribus ac beneficiis suis apud Judæos hoc lucraturum, ut à Juda proditore triginta argenteis sanguinem ipsius emant, sicque loco debita mercedis alium mercede conducturos, à quo ad mortem tradatur. Quamvis verò hæc emtio inter Judam & Pontifices duntaxat fuerit instituta, toti tamen populo Judaico à Propheta ascribitur, quia Pontifices fuerunt capita & proceres populi, & quia omnium idem fuit animus, eadem ingratitude, eadem rabies, quod satis postmodum apparuit quando tantis clamoribus ad mortem crucis Christum deposcerunt. Mox subjungitur, quid precio triginta argenteorum actum sit. *Projice*, inquit Dominus ad Christum, *mercedem illam ad figulum*, ac *ειρωνικως* additur. *Magnificum sanè precium, quo appreciatus sum!* quibus verbis summa Judæorum impietas perstringitur, quòd tam vili precio æstimarint eum, qui tantis laboribus in officio suo pastoralis meliorem ac majorem mercedem promeruerat, quiq; sanguinis sui precio universum genus humanum redempturus erat. LXX. ad sensum magis quàm ad verba respicientes sic verterunt: *Depone illos triginta argenteos in conflatorium & recogita, si probatum est, sicut probatus sum pro eis.* Vatablus reddit ad thesaurarios sive custodes thesauri, ac si legendum esset תרצא literis נ & ר permutatis, sicque significaretur fore ut Judas triginta argenteos referret ad תרצא thesaurarios, h. e. Sacerdotes, ut inde emeretur ager תרצא figuli. Tandem subjungitur, quomodo juxta præceptum Domini argentei in domum Domini, h. e. in templum fuerint projecti ad figulum. Quamvis enim projectio illa argenteorum in templum à Juda, emtio verò agri figulini à Pontificibus sit facta, utraq; tamen Christo tribuitur, non solum quia triginta argentei proditori primùm, deinde etiam figulo dati fuerunt precium, quo sanguis Christi emtus fuit, sed & cum primis hoc nomine, quia singulari ipsius Christi providentiâ factum fuit ut Judas proditoris precium in templum referret & Pontifices agrum figuli ad sepulturam peregrinorum eodem emerent. Cum hac Prophetici vaticinii explicatione consentit allegatio Evangelistæ: *Et acceperunt* (scil. filii Israel, ut ex verbis sequentibus intelligitur) *triginta argenteos precium appreciati* & *τετιμημεν* illius æstimati, qui est inæstimabilis, quem *appreciaverunt* ὃν ἐτιμήσαντο quem tanti æstimaverunt à filiis Israel. Theophyl. particulam illam *ὃν ἐτιμήσαντο* conjungit cum voce *appreciati*, qua ratione synecdochicè per filios Israel intelligendus erit Judas. Fr. Junius conjungit cum verbo *ἐλάβον* *accepi*, sed concinnius est, si juxta Euthymium subintelligatur vocula *τινες* hoc sensu, quem *appreciaverunt* quidem ex filiis Israel, vel etiam ἐκ τῶν υἱῶν Ἰσραήλ qui sunt à filiis Israel, h. e. Israelitæ. Hac ratione per quandam relationem ad præcedentia indignitas hujus contractus exprimitur. Filii Israel, h. e. summi Sacerdotes, populi Israelitici capita ac proceres, quos minimè omnium hoc facere oportuit, acceperunt triginta argenteos precium, quo ipsimet Messiam suum æstimaverant, & dederunt eos in

agrum figuli, h. e. ad emendum agrum à figulo, sicut constituit mihi (Propheta) Dominus, ut scil. hoc vaticinio velut ipso facto talia præsignificarem. Syrus in prima persona vertit; *Accepi triginta argenteos precium preciosi, quem speraverunt ij, qui sunt à filiis Israel, & dedi ipsos in agrum figuli, sicut præcepit mihi Dominus, ἐλάβον* tam in prima persona singulari potest verti *accepi*, quàm in tertia phrasi *acceperunt*, sed verbum sequens *ἐδωκαν* est plurale *dederunt*, pro quo Syrus legit *ἐδωκα* *dedi*. Pro *ἐτιμήσαντο* *æstimaverunt*, legit *ἠτιμήσαντο* *speraverunt*. Hæc lectio primæ personæ ideo fuit à Syro observata, quia magis congruit verbis Prophetæ: *Et tui triginta argenteos, & projecit illos in domum Domini ad figulum*, magis etiam congruit clausulæ, quam addit Evangelista, *sicut constituit mihi Dominus*. Sed nec pluralis numerus, quo utitur Evangelista in textu Græco, à verbis Prophetæ abit. Propheta dicit, filios Israel appendisse triginta argenteos loco mercedis & hoc precio appreciassse suum Messiam. Idipsum etiam dicit Evangelista, acceperunt filii Israel precium, quo ipsimet Messiam appreciaverant. Propheta vilitatem precii *ειρωνικως* exaggerat & in persona Messia dicit: *Magnificum sanè precium vel preciosa perfectò summa, quâ appreciatus sum ab illis*: Idem innuit Evangelista, quando emphaticè repetit; *argenteos illos fuisse precium appreciati, quo filii Israel Messiam appreciaverint*. Propheta dicit argenteos illos fuisse projectos in domum Domini, idem à Juda fuisse factum in præcedentibus commemoravit Evangelista. Propheta dicit argenteos illos fuisse projectos ad figulum, Evangelista exponit finem; cur dati fuerit figulo, nimirum ut illis emeretur ager. Propheta dicit à Domino sibi præceptum fuisse, ut triginta illos argenteos in domum Domini ad figulum projiceret, pro eo dicit Evangelista, sicut constituit mihi Dominus. Ex quo intelligitur allegationem Evangelistæ cum vaticinio Prophetico optimâ ratione convenire, licet verba sint penè diversa ac toto ordine discrepantia, ut monet Hieron. in lib. de opt. gen. interpret. Voluit autem propter nos hanc ignominiam Christus sustinere, quod tam vili precio fuit æstimatus ac venditus. Triginta argentei erant precium hominis servi, quia æstimatio liberi erat sexaginta argenteorum, duplo sc. major, ut habetur in libro More. part. 2. f. 166. *precium servi erit argentum triginta siclorum, h. e. triginta sili argentei*. Idem colligitur ex cap. 21. v. 32. Exodi, ubi statuitur *quod si bos cornu per a servum aut ancillam invasserit, triginta sili argentei damnum fuerit redimendum*. Eramus nos omnes servi iniquitatis Joh. 8. v. 34. venundati sub peccato Rom. 7. v. 14. eramus sub aliena potestate tenebrarum Coloss. 1. v. 13. Christus igitur ex hac servitute nos liberaturus precio servi, h. e. triginta argenteis sese patitur æstimari ac vendi, *servire ipsum fecimus in peccatis nostris* Es. 43. 24. ut nos in veram libertatem restitueret Joh. 8. 36. vili precio æstimatus est, ut in conspectu Dei nos preciosos redderet: venditus est precio servi, ut nos redderemur filii Dei &c. Weidner. conversus Judæus tr. 1. p. 418. edit. Vienn. refert huc vaticinium Propheticum Amos. 2. 6. *Hæc dicit Dominus propter tria scelera Israel & propter quatuor non parcam ei, eo quod vendiderit justum pro argento & pauperem pro calcamento.* Hic

Hic (inquit) quatuor ponuntur à Propheta pro quarto, more linguae Hebraeae. Rabini interpretantur de Josepho vendito, sed ante venditionem non precesserunt in Israel alia scelera, ut venditio sit quartum scelus. Primum ergo peccatum fuit, quod vitulum pro Deo adoraverunt EXO. 32. secundum, quod Deum negaverunt, quando Jeroboam faciens vitulos similes dixit. Ecce Dicitur Israel. 1. Reg. 12. tertium, quod Prophetas Dei universos odio veritatis occiderunt & eorum dicta contemserunt. 2. Paralip. 36. quartum, quod omnium maximum est, quod Christum Filium Dei vendiderunt & condemnarunt. Hic est illo iustus, de quo Amos loquitur, reliqui enim omnes etiam Moses & Propheta peccaverunt, ac proinde non sunt simpliciter & absolute iusti. Ne quis vero argentum illud, quo Israelitae Mesiam vendiderunt, magni aestimaret, subiungitur, & pauperem pro calceamentis, hoc est, argentum, quo iustum & pauperem illum vendituri sunt, tam exi-

guum erit, ut precio calceamentorum aestimari possit, Sed hæc videntur à simplicitate textus Prophetici longius recedere, quia etiam in præcedentibus tria & quatuor scelera conjunguntur ad peccatorum atrocitatem exprimentam, siquidem ex tribus & quatuor fiunt septem, qui est numerus perfectus. In genere igitur loquitur Propheta de contemtu pauperum, ac de exactioibus tenuiorum per usuras, fraudes, rapinas &c. postea in specie ad ignominiosam licitationem ac venditionem Christi id transferri potest. Quod si contingat etiam nos in mundo pro vilibus mancipiis ac rejectamentis haberi 1. Cor. 4. v. 13. solemur nos exemplo Christi, qui eandem omnino sortem expertus adhuc nobis occinit illud Joan. 16. v. 18. Si mundus vos odit, scitote, quia me prius odio habuit.

Peccavi! fateor, non desperabo, relinquam  
 Iscariotb laqueum, cor tibi Chrifte dabo.

CAPUT CXCI.

CHRISTUS CORAM PILATO DE SEDITIONE ET REGNI  
 AFFECTATIONE ACCUSATUS, EGREGIAM EDIT CONFESSIONEM  
 AC PUBLICUM INNOCENTIÆ TESTIMONIUM A PRÆSIDE  
 REPORTAT.

MATTH. 27. v. 11. MARC. 15. v. 2. LUC. 23. v. 2.  
 JOHANN. 18. v. 28.

RATIO ORDINIS.

**P**ost descriptionem interitus Judæ subjungunt Evangelistæ Historiam actorum coram Pilato, quæ narrationis series obsecratam Judæorum, præsertim Sacerdotum & Seniorum, rabiem manifestat. Judas dederat Christo publicum innocentiae testimonium, insuper etiam in Judæ exitio editum erat horribile exemplum iræ divinæ, quomodo scilicet injustam sanguinis innocui effusionem, vindicare velit, sed summi Sacerdotes hæc omnia susque deq; habentes nihilominus falsis criminibus Christum coram Pilato gravant ac totus populus furenter clamant. *Sit sanguis ejus super nos & liberos nostros.* Voluit autem Spiritus sanctus ea quæ cum Christo coram Pilato acta sunt, singulari diligentia ab Evangelistis describi, prævidit enim, quantis mendacis Judæi & gentiles illa essent conspurcaturi. De Judæis nemini illud mirum esse potest, cum non erubuerint conficta crimina coram Pilato Præsidente Christo intentare ac falsis testibus innocentiam ejus opprimere. Beda in c. 23. Lucæ meminit quorundam Scriptorum contra Christum compositorum, in quibus referatur, ipsum Magicæ artis apud Pilatum fuisse accusatum. Hac in parte gentiles noluerunt esse Judæis inferiores, siquidem Imperator Julianus apostata odio religionis Christianæ iussit conscribi quendam librum, cujus titulus: *Acta Pilati*, in quo horrenda scelera de Christo conficta continebantur. Hunc librum turpissimus apostata passim in Ro-

mano imperio vulgari, quin & pueris in schola ediscendum proponi curavit, ut Christi ac Christianæ religionis odium omnibus infillaret. Meminit horum Actorum Niceph. lib. 1. Histor. Eccl. c. 16. & ex temporis circumstantia falsitatem eorum arguit. *Acta illa (inquit) passionem & mortem Christi referunt in septimum Tiberii annum, quo tempore, ut ex Josepho constat, Pilatus nondum Judæ præfuit sed 12. Tiberii anno ei est præfectus.* Hoc ergo prævidens Spiritus sanctus per amanuenses suos sanctos Evangelistas diligenter annotari voluit, quàm diserrè Pilatus de Christi innocentia testificatus fuerit & hoc suum testimonium aliquoties repetiverit, ut vanissima illa Judæorum & gentilium mendacia, antequam essent nata, extinguerentur. Caterum post verba Judæorum, *Nobis non licet interficere quemquam,* Joannes immediatè subjicit, *pilatum introisse prætorium ac rogasse Christum, an sit Rex Judæorum,* quæ narratio cum superioribus durè admodum coheret. Quomodo enim Pilatus potuit quarere de objectorum criminum veritate ante accusationem à Judæis institutam? Matthæus etiam ac Marcus statim post additionem Christi ad prætorium subjungunt examen Pilati, sed hanc lacunam narrationis Spiritus S. per Evangelistam Lucam divinâ providentia explevit, is enim capita accusationis coram Pilato contra Christum à Pontificibus institutæ recenset, inter quæ etiam illud est, quod Regem Judæorum sese fuerit professus, Hæc igitur capita ipsi examini sunt præponenda.

Harm. Tom. III, vel Gerbard. Cont. pars quarta.